



Jon.
Neandri
Anagram
Bremæ
1632









Autor in hoc libro multis mendacibus ornat laudibus, quis ipsum gloriae parva manet.

merito vanus habendus erit.

O.XVII. p. 17

Martialis de Callistrato Lib. XII. Epigr. 82.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

36307

Autor in hoc libro spernenda ana-
grammata finxit,
Et plausum genio non meritura suo.
Nam modò juncta fuit voci, modò litera
dempta
Turpiter, ex vario ficta reficta modo.
Talibus auxiliis fiant anagrammata nunquam
Lectori gratus si labor esse velit.
Non licet infando castrare vocabula furto.
Arte placent; constans arte perennat opus.

Joannes Neander
ἀναγρ.
Inane edens, orna!
Res viles edens et opus prope frugis inane,
Si quid habes orna sollicitèque poli.
Non anagramma tibi quaeris confusio promat
Tersa sed Ars, numeris relligiosa suis.
Ὀναγρ inane edens
En re insana hendo

NB
hendo veteres dixerunt
pro prehendo; sive
capesso.

Κτῆμα
Johannis Hildebr. Withofii
Anno 1714 ad d. 26 Novembr.
Symbolum.
Mundus regitur opinionibus

FESTUS.

PRÆMETIUM

DICITVR, QVOD ANTE
METITVR, QVASI PRÆMES-
SUM, PRÆLIBATIONIS
CAVSSA.



IOHANNIS NEANDRI
MEDICI·ET·PHILOSOPHI
BREMANI
DECADUM
ANAGRAMMATISMORUM
PRÆMETIUM
BREMÆ.
Prostat apud Autorem.
1632.

QVOD
FELIX,
FAVSTUM,
FORTUNATUM-
QVE SIT
REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO,
CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO

DNO. JOHANNI FRIEDERICO
ARCHIEPISCOPO BREMENSI,
EPISCOPO LUBECENSI,
HÆREDI NORWEGIÆ,
DUCI SCHLESWIGÆ, HOLSATIÆ,
STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ.
COMITI IN OLDENBORCH ET DELMENHORST;
MEO AVGUSTO,
MEO MECOENATI,
MEO EVERGETÆ,
CLEMENTISS.mo BENIGNISS.mo
MERITISS.mo
QVOD
GLORIÆ
&
HONORI
REVERENDISS.mis ILLUSTRISS.mis
NEC NON
REVERENDIS ADMODUM
MENTE
&
STIRPE
NOBILISSIMIS DOMINIS
QVI
E SUMMO CAPITULO BREMENSI;
DOMINIS GRATIOSIS, OBSERVAND.

QVOD

QVOD
ÆVITERNITATI
&
FAMÆ
NOBILISS.mis MAGNIFICIS, AMPLISS.mis
&
CONSULTISS.mis
PRÆFECTO JURIS,
CONSILIARIIS,
ECCLESIASTICIS
&
NOBILIBUS AVLICIS,
FAVITORIBUS MEIS SUSPICIENDIS:
QVOD
SEMPITERNÆ
&
FELICI MEMORIÆ
INTEGERRIMIS, PRUDENTISSIMISQVE
ARCIUM ARCHIEP. PRÆFECTIS,
SECRETARIIS,
& QVI
A CAMERA SCRIBIS,
QVORUM
IN PRIORIBUS HISCE DECADIBUS QVINQVE MENTIO,
ID
UT *NOSTRUM,*
SARTUM,
TECTUM,
INDEMNE,
PERPETUUMQVE
MANEAT, PERENNET, ÆVITERNET.





In Insignia antiqva
REVERENDISS: ET ILLUSTRISS:
PRINCIPIS Ac Domini

DN. JOHANNIS FRIDERICI ARCHIEPISCOPI BREMENSIS &c.

Elegidion.

ECqvis Apex triplicis ſignatus Caſſidis orbe?
Dignũ Ter-Gemino Principe Stem̃a refert.
ERECTVS LEO cur forti tenet ungve *Bipennem*?
Non hic *NorWegis* plus feritatis habet.
Qvid GEMINÆ CLAVES? Myſtarum gratiâ Summûm
Qvod data Libertas publica *Brema* Tibi eſt.
Qvid PAR dente minax in lævâ parte LEONVM?
Eſt *SchlesWicenſis* Gloria rara jugi.
Qvid FOLIVM URTICÆ? Cluet hoc Proſapia Stirpis
Holſatum. At CLAVI TRES, age, dic qvid ibi?
Hos Clavos meruit Solymorũ ad mœnia ADOLPHVS
TERTIVS *Holſatum* dum Comes æra meret.

Qvid notat in medio CRUX? *Lubecensibus* ista
(Invidiosa aliis) Cuspis & Ægis erit.
Et qvid OLOR? Populi *Stormarsi* Civica jura
Respicit, & cantat gaudia si qva latent.
At CATAPHRACTUS EQVES qvid vult? de gente triumphans
Dithmarsâ lætus nuncius ille venit.
ERECTÆqve CRUCES qvid enim sunt inde TRABESqve?
Oldenborgiacæ qvis neget esse *Domus?*
Hæ qvoqve ad Æolii securæ cuspidis ictum
Delmnhorstæ Comitum Stemmata prisca notant.
Nominis Omen habes JOHANNIS, cur? Charis ipsa
Contulit à pueris. Ulteriora petis?
Nominis Omen habes FRIDRICI (gloria!) namq;
Moribus Ingenium mitius esse jubes.
Pacem Sancta decet Clavis, sed tempora Martis
Hæc tria VEXILLVM, CRISTA, CORONA decent.
Hæc sunt digna tuis Insignia, MYSTA, triumphis,
Scipio qvæ victor, qvæqve Metellus amet.
Exspectes & Sustineas Celsissime Princeps
Paullisper: Referet Præmia digna Cinis,

I. N. F.

REVE-



REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO, Celsissimoqve PRINCIPI Ac DOMINO

DN. JOHANNI FRIDERICO

Archiepiscopo Bremensi, Episcopo Lubecensi, Hæredi Norwegiæ, Duci Schleswigæ, Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ; Comiti in Oldenborch, & Delmenhorst;

Domino suo Clementissimo

JOHANNES NEANDER

Præmetium Suum commendat.

Reverendissime, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime;



Ræmetium Meum, utinam fausto Musarum genio conceptum! Tibi commendo, si merebitur; Tibi, inqvam, Magno Antistiti, Cui obstrictus ego ob beneficia &

 hono.

norem olim acceptum; acceptum verò ab Eo Cui etiam *notum esse tantummodo summus honor est.* Qvis enim Tu? & Qvantus Princeps? GENTE Illustrissimus, INGENIO Clementissimus, REGIMINE Generosissimus, in uno homine PATRIÆ PATER. Taceo Nymphas Musarum qvasi Novemsilium numero conclusas, JUSTITIAM, PRUDENTIAM, SAPIENTIAM; addo HUMANITATEM, FIDEM, CONSTANTIAM; deniqve BENIGNITATEM, MISERICORDIAM, CLEMENTIAM, Qvæ singula in DIVINO ANIMO ita sustines, ut Medium Beatitatis & veræ Gloriæ adeptus videaris; MAXIMVS, inqvam, haberi dignus, & OPTIMVS simul. Qvid ultra? SERVATORIS & DEFENSORIS Titulum numqvid adeptus? Olim OB CIVEM SERVATUM SERVATORI ET SOSPITATORI donabantur Coronæ variæ; Tibi non OB UNUM AVT ALTERUM CIVEM, sed OB TOTAM PATRIAM SERVATAM omnes Honorum Tituli & Coronæ ex meritis Virtutum debentur. Tu Ille cujus mascula *Virtus*, Elegans DOCTRINA Rara FORTITUDO, similiaqve tot lumina

Dotium

Dotium irradiant pariter & illustrant Totius Circuli Nostri tractum ; Cujus LENIS AUSTERITAS, Prompta LENITAS, Blandusq; ANIMI VIGOR cev Gemmæ qvædam eminent, & exornant purissimum tot Virtutum Aurum. Et qvemadmodum Æternum illud Templum stellarum siderumqve facibus distinctum Lumen habet, Calorem non habet ; sic Tu cunctas has Virtutes sine ambitione habes, Æternis aliqvando Nominibus perdignus commendari. Agnoscimus Hoc modò publicâ verissimi Elogij voce: *Meliorem avt puriorem Mentis avram, vix ulli Mortalium à Naturâ infusam.* Ita, ita infusam à Naturâ, & puro incorruptoq; rore per Divini Stemmatis flexuras à Majoribus derivatam: Clari illi Pacis Belliqve Artibus, Domi Forisqve Cari; qvam gloriam gratiamqve sparso SAPIENTIÆ VIRTUTUMqve Seminio propagarunt.

Sed hæc mitto. Nominis interim Numinisq; Tui MAGNE PRINCEPS, Divino schemate in HAC commendatione utar. & caussa est. Causa inqvā. Postqvam Te Urbs Hæc vidit & amplexa est, Imaginē qvoq; sump-

ſi lætioris Animi, & prælibare à Præſentiâ Tuâ certum Tranqvillitatis omen cœpi: Sed cœpi: cur negem? Tuo Patrocinio fretus, fugatis malignitatis tenebris, Muſæ Meæ Virtutem Præſentiæ Tuæ confitentur. Teſtabitur PRÆMETIVM HOC Imaginem MEI referens, QVOD SINE FUCO aut FRAVDE, REV: & ILLVST: T. CELS. qvâ decet HUMILLIMÂ Subjectione, & Subjectiſſimâ HUMILITATE

DO,

DICO,

DEDICO,


Tu Inſpice, NOſce, & me Ama, QVI Tuus ſum, & eſſe magis cupio, ut videar; immo glorier Amore hoc, qvod

ANIMITUS VOVEO,

TU VALE MAGNE PRINCEPS.

BREMÆ.

LECTO-



LECTORI MEO,
Cui SALVS.

DECADES Qvas vides ANAGRAMMATVM, MI LECTOR, veteres, an Novas appellare debeam, non ſat ſcio: Re & Argumento veteres ſunt, Nomine & ornatu Novæ, & neſcio ad qvorum imitamentum Autorum calentis qvadam ingenij vi, ſed tumultuario ferme, operâ, ſubceſivâ, ſtilo expreſſæ ac effuſæ; majore idemtidem curâ reformatæ Amicorum qvorundam flagitatione. Et ſanè Illorum incrementi ſpem intercepturæ erant Fortunæ Meæ viciſſitudines qvæ Mihi conciliantur ab illis, qvi qvadrigis ſuis frenum ſuſtulerunt, & acri jam feruntur Inſolentiæ & Injuſticiæ curru, qvem ſiſtere non in ipſorum manu erit, dum (volente DEO) ruent, & aſciam (qvod dicitur) ipſi ſuis cruribus illident. De Me facile eſſet; Juſticiæ infelicis vicem miſeror ac doleo, cui præter meritum tam pudendæ ignominiæ nota imprimitur ab iis, qvi ſpecie Angeli graſſantes, veritatem ipſam everſum eunt ac proculcatum: Qvorum effrene os niſi durioribus lupatis comprimatur, qvid

Exordium

Libri hujus ratio

Non ſine fraude, immo dehoneſtamento publico

Qvi noſtrū eſt dicunt, injiciuntq; manus.

Fratrum qvoqve gratia rara est.

Bene sibi conscius falsis non debet moveri conviciis, nec æstimare plus ponderis esse alieno convicio, qvam proprio testimonio Ambros.

Durum, sed levius fit patientiâ, Qvicqvid corrigere est nefas.

qvid reliqvum est, nisi ut (invito Mè hoc prædicente) Ilicet ad tubicines mittamus, utqve de Epicedio parando cogitemus Adfectui Fraterno Funus facturi? Qvumqve insuper Fama Mea à Pitheciis & Spinturniciis satis protervé sollicitetur, qvid tricar, & qvasi rudibus batuens qverendi finem facere cessem? Qvin potius brachio jam semel concalefacto à Prælusione ad pugnam, hoc est; abjectis aliqvando hastis Samnitium ritu ad arma Decretoria procedo; qvo videlicet meorum adversariorum latus pugnatorio mucrone petiturus unius plagæ ictu rem conficiam? Isti sane crabrones me retrahũt, ex peregrinatione qvasi aliqvâ ex Helicone, domuitionis cupidũ, ad intermortuã prope ac sepultam Famæ Meæ memoriam sic qvasi ex Democriti puteo, vel potius Orci thesauro, aliqvanto presſius penitiusqve eruendam, atqve ex arenoso situ in apricum producendam, animum meum velut aculeis qvibusdam stimulantes. Ignoscat Mihi Justitiæ Genius, cujus omne hoc qvicqvid est, solius caritas exprimit, ei proinde imputandum si dolorem hunc meum qverimoniæ testificatione oneraverim. sed tristia hæc desino; neqve enim hoc Dama-

rum

marum genus tanti, in qvos haut paullo verius juſtiusqve qvam in Cornificij milites conveniat aculeatum illud de Galeatis Leporibus convicium. Interim cum Muſis dum Me oblecto, ex Illarum monimentis, ANAGRAMMATA Hæc, qvæ rudia & inchoata olim reliqveram, reduxi ad limam. Datum hoc cumprimis Altricis Noſtræ *Genio*, inſitæqve, nobis in REVERENDISS: & ILLVSTRISS: Noſtrum PRINCIPEM, & PATRIÆ Noſtræ PATRES Charitati; datum Amicorum (Nos Noſtraqve ſtudia FAVORE ſuo ſublevantium) efficaciſſimis ad perſuadendum precibus; datum deniqve necdum antiqvatæ effœtæqve penitus BREMANORVM Gloriæ: Gnarus enim ſum, Bonorum cumprimis intereſſe Nominis Sui famam in apricum producere: neqve enim qvenqvam eſſe ingenio adeo infelici autumo, ut non vel cum præſenti Nominis ſui jacturâ SCÆVAM potius Famam malit, qvam nullam. Qvum enim qvidam ex Saturniis Lemis toti, imò qvanti qvanti ſunt, ex Nubigenarum vel Angvipedum potius ſeminio prodigiosè concreti conflatiq;, in tantâ hominum copiâ, nominis ſui Famam ſomniare audeant, Qvid Illos facere eſt æqvum, qvibus neqve

Boni ſemper ſolent. ῥέπειν πρὸς τὸ φιλάνθρωπον.

Neſcio quâ natale ſolũ dulcedine cunctos Tangit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

& Amicitia ubi rogat imperat.

Qvid non Ambitio potuit ſuadere?

Fama

Epicur' Idomeneo. *Si gloria, inqvit, tangeris notiorem Te Epistolæ meæ facient qvam omnia ista qvæ colis, & propter qvæ coleris.* Seneca Epist. 21.

,,*Hoc unũ* ,,*contingit* ,,*immortale mor-* ,,*talibus.*

Omnia mutantur certè mutantur Honores.

Qvo non mortalia pectora Fama cogit amor?

Fama neqve Conscientia mentitur? ad qvorum copiosissimas merces si Ego qvoqve Spicilegium adgessero, id Mihi vitio verti debet? Præclara profectò eximiorum Virorum dicta, facta, scripta sine hac Heliconiâ Lucinâ abortiva essent. Utcunqve Literarum beneficium in Phædro elevet Socrates, dum ex Pythagoreo ritu Sapientiæ possessionem traditionemqve hæreditariam, & in Animos potius, qvam in libros transfusam laudat, velut certiore memoriâ, qvæ nullum extra se subsidium habet; diffiteri tamen non potest Ingeniorum Felicitates Scriptione qvàm Sermone latius communicari. Neqvè decet Animum, Qvi Æternus est, qvoqve solo à belluis distinguimur, non parere aliqvid ex sese, qvod referret Ejus Immortalitatem. Hinc fit ut BONI Omnes literas ament; Illi cumprimis QVorum maximè interest ab omnibus nosci. Qvippe haut sine Divino consilio ingeneravit Natura HOMINUM generi qvandam HONORIS Cupiditatem, Eamqve etiam auxit certo qvodam studio Laudis ex Honestis Actionibus, qvam GLORIAM vocamus. Et qvamvis Hanc, velut fomitem Industriæ exæqve Mortalibus fere cunctis subjecerit Ipsa Natura; tamen

men quosdam videas igniculos illius ita retinere, ut clarissimum lumen ex omnium Virtutum quasi conflictu aliquo emittant: nonnullos ita confestim obruere, ut solo habitu Corporis & figurâ à belluis discerni possint. Itaque illi FAMÆ Æternitatem sibi ante oculos proponentes à Literarum luce Splendorem quendam Claritudini suæ quærunt. Hi verò quoniam Conscientiam Posteritatis reformidant, exstinctis Virtutibus exstingui etiam Monimenta Virtutum & sequentis Ævi Memoriam volunt. At contra Boni ornamenta sibi non peritura semper quæsiverunt; sciebant enim Illustrium virorum corpus esse mortale; Animi verò motus ac Virtutis Gloriã sempiternã, quando non trabibus, aut saxis cinerum custodibus victurũ Nomen, sed Monimentis Æternæ Laudis inciditur. vivunt igitur vigentque post Fata; eoque magis in sermone Hominum versantur, quò longius ab oculis recesserunt. vivent, vigebuntque & Illi Hi, Quorum Nomina Anagrammatum Immortalitate donavi, exspectaturus diversissima tam Senatus Critici, quam fæculentæ plebis judicia. Moveor sanè non nihil Illius acutâ, Hujus nihil commoveor hebeti falce. Idem ten-

O si his dicendus par Mea Musa foret?

Virtus in Actionibus, potissimum consistit.

Quid non lõga dies, quid non invertitis anni?

tent: Laboris molestiam & difficultatem experientur, Totas edere DECADES, Easq; ad gustum & salivã omnium coquere, vix Ipsi Apollini liceat, hoc cumprimis scribacissimo & fastidioso Seculo, in quo

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Sunt, qui semel, aut ad summum bis, integri anni spacio versum eructant popularem, Eum Mundi parietibus adfixum volunt; & ne nihil scribere videantur, ea promunt, quæ ne à sano quidem homine somniari posse Orestes dixerit; & hac in machærâ, instar PELEI, sibi mirificè placent, & magnam opinionem Scientiæ ex iis, præsertim aput inscitum vulgus, aucupantur; Qui tamen tantum abest ut quam sibi sperant Gratiam Gloriamve ad sequantur, ut ab iis ipsis, quorum adsensionem captant, rideantur, & domestico Præconio Imperitiæ suæ colligant Testes:

In quos Catullianum illud conveniat planissime: *Annales Volusi, cacata charta.*

O steriles veri nugas! ô somnia! surdas
Qualia ad exsequias Præfica cantat anus.

Sed valeant isti, vel Morboniam abeant potius, qui salẽ nullũ habent, sed corruptum Cerebrum, quibus Ego confragosus vel plane nullus videbor.

Itẽ

Ite Placentini procul hinc Aretaloga turba.
Veronensis Ego Laudenses arceo; & odi;
Docta ferens Doctis Avctoribus. ite Traguri.

Nos interim BONIS AVIBVS, atque adspirante FAVONIO, in FAMÆ mare feremur; Illique Nobiscum Quos Carminis Immortalitate utcunque animavimus; etenim Cineres comitamur Nomine, & sic vitam ipsam audemus

& Famam sperare sepulchro.

Qualis etenim Vita, tale & Nomen erit Cujusque; & post Vitam tale erit, quum scilicet Memoria Virtutum sive scelerum posthuma maneat in præmiũ sive pœnam: nam malè actæ vitæ maculas Nomen excipit ac diffundit: Bonæ verò decora atq; ornamẽta explicat atq; propagat. Fugiat quis an captet Famam, vestigia linquit, & Nomen velut umbram sui trahit: adeo interdum Nomina sunt Morum & Fortunæ omina, per quæ ad limen Honoris aditus est apertus. Nomine ipso *Nominibus faustis omina inesse solent.*

Si chartæ sileant, quod benefeceris
Mercedem tuleris.

Sed de Nomine ipso satis. Jam ad Etymologias. Non sane Archaismi Nostratis ignorantiâ in erroris quasi proletarii na-

rii nassâ delitui, dum Prænomina interdum posui atque scripsi aliter; exempli gr. Y resolutum videas in II. K in C. UU in VV; Z in TS, & SS; I & U pro Vocali vel Consonanti interdum cernas. In Nominibus quoque aliquotiens remisimus à stricto Anagrammatismi jure, ut GEERHARDUS pro GERHARDUS, id est, *Desiderius*, ex *Geer*, sive *Gier*, id est, Avidus, & *Aert*, id est natura: Sic COENRADTUS pro CONRADUS, Græcè *Thrasibulus*, ex *Coen*, id est Audax, & *Radt*, id est, Consilium. Sic pro DIRICO, quod alii derivant ex *Dier*, id est pecus; & *Ryke*, à divitiis; Ego tamen malim ab antiquata jam pridem voce *Diede*, sive *Diet*, quâ Gentem, sive Nationem vulgo denotari maluerunt Majores nostri; ut sit *Diederijck*, populorum copiis abundans (quod haud paullo significantius per *Volcrijck*, exprimit Idiotismus noster) Item HEINRICUS pro HENRICUS ab *Hein*, sive *Heim*, id est domus aut prædium, & *Ryck*. Romani sanè Propria olim Nomina GOTHICÆ seu CIMBRICÆ linguæ vicina Composita & Significativa, quæ in Secundam Declinationem cooptabant, promiscuè in JUS & US solebant terminare: exempli causa: *Armin* sive *Eermin*, illustre

Sic volvenda ætas commutat Nomina.

olim

olim apud Noſtros Nomen (ne quis longè aut improprie ad Mercurium, ſive ἑρμῆν referat) ex *Ar*, ſive *Eer*, confundi enim interdum hæ voces ſolebant, & *min*, id eſt meum, quaſi Honor meus, hinc *Arminius* Cheruſcorum Princeps qui cum Svevis & Sigambris bellum contra Romanos crudeli bello ſumſerat. Sic THEODORUS, THEIODORVS; FRIEDERICVS, FRIEDTERICUS, FRIDERICUS; & ſimilia. Sed ne quid ulterius extra oleas vager, unde aliquantiſper ſic quaſi per diverticulum defluxit noſtra Materia, velut de tramite in viam aliquando regrediar. Æqui & Sapidi de quamplurimis bene mereri Me (exceptis Pſyllis, Marſis, quorum nunc plus fere eſt

Quam olim muſcarum quom caletur maxumè

Et quos bonum ſtomachum habere cottidie difficile) ultro & cum ad plauſu fatebuntur. Quod ſi maleferiati Carptores & invidi mei obtrectando cavillandoq; Hæc ingrata reddere laborârint, cur Me ponam extra legem & ſortem communem? De Theologo Theologaſter; de Juriſconſulto Conſultaſter; de Medico Medicaſter; de Poeta Poetaſter fert judicium: & ſic de ſuperi-

Ut flamma non ſurrexit unquam ſine fumo, ita nec Fama ſine Livoris nube.

ore ac Doctiore quoque inferior ac indoctior quisque ſentit, Ita Liberales Diſciplinæ omnes paſsim periclitantur. Dolendum certè maxime Literatos inter ſe calumniis & odiosâ παντοκρισίᾳ belligerare, quum aliâs vulgus procaciter ſatis de Nobis blactiat. Ego non Mihi metuam? Ruri Me philomela & alauda recreat; in urbe hirundo & nycticorax offendit, & vitam reddit longè amariſſimam. Quid verò interea? Dum á vulgi fæce remotior in deſidiabulo aliquo ſuburbano Fortunæ meæ faciē queror, & velut alterum Ulyſſem hinc inde jactari ingemo, & invidia Fratris unici oppreſſas ac præpeditus mecum vorſo, quod

Auritã quæris? heic oculata fides.

Non facile emergunt quorum Virtutibus obſtat

Res anguſta;

Scripſi tamen Ingenii Dona Nemini negaturus; in aſſem ſoluturus, ubi vixero, & firmius ſedero. Mea hodierna vita mera Peregrinatio eſt; Solum Solo, Domum Domo muto, quod quam moleſtum norunt Illi QVi difformia Hominum & Morum genera ſunt experti. Euge Penia! Virtutibus Meis obſtetiſti; immo represſiſti; nec tamen oppresſiſti JEHOVÆ MANU AVXILIUM MIHI FERENTE

Vtilis interdũ eſt ipſis injuria paſſu. Ovid.

RENTE: ita SOLE ORIENTE LUNA PALLESCIT. Quid in tanto contemptus squallore? Fortunam quum Mihi non possim conciliare optatam, Virtutem excludam? Ocio propter despectum torpescam? Haut ita. Quinimo, quandoquidem PER DURUM GLORIA ANHELAT ITER, & Calamitas illustris ad Gloriam, Voluptas nunquam, faciliusq; Pietas decipiatur, quam circumscribatur Calliditas, LABORE ET PATIENTIA horam exspectans, quam Fati Majestas certam Mihi præfinivit, indicavit nondum, quo faventiores Mihi Mortales reddam, Labores suscipiam quæ inerti desidiæ saxamenta ponant, licet perversissimo hoc Seculo servile nomen Poëta sit; Adeo ut Superioris ævi Felicitatem Nemini inviderim, quum ei nihil cedat Nostrum hoc Præsens. Erat sanè uberior Excellentium Poëtarum proventus, sed cui nihil imputet Gratiosior Principum Urbiumque Benignitas. Quin si libeat sedere ad calculum, Quis Cordi, Celtis, Eobani, Stigelii, Baudii, & aliorum plurium querelas sine indignatione legat? Num hodie Musarum hæc militia mitiori lege quam seculo præterito exercetur? Quis inter Alumnos hujus Phoebi rem suam paul-

Cui pauca nõ sufficiunt, ei nihil satis est Epicurus

Velis quod potes, quando quod vis non licet.

Iounctiorem fecit? Centesimus quisq; si fecit, non tam aliqua Virtutis Eruditionisque, quam nescio quâ felicioris Constellationis prærogativâ hoc factũ, quæ etiam nunc subinde Nostro Ævo huic vel illi lucrificam adlucet facem. Cæteri omnes agunt inter capite censos, inter Proletarios, contenti totam vitam sordido oblectare pane. Nonne cottidie videmus à funere Eruditissimi cujusque Uxorem ejus Liberosque ad Peniæ pudenda penetralia delabi? Est adeo eritque BONÆ MENTIS SOROR PAUPERTAS. Sed quid Ego hæc? In propriam vigilabo Famam quamdiu vivã, nec Me movebit sinistra malevolorum de coetu hoc Pæanico opinio, quum jam sciam Nomen Meum in multorum, Eorumq; Bonorum, & dextre judicantium ore versari. *Magna* certe *Vitæ pars consumitur*, NIHIL AGENDO; *Major* MALE AGENDO; ALIUD AGENDO *Maxima*. Ego nec NIHIL, nec MALE; nec ALIUD quam decet, ago; illud *Democriti* mecum recolens, quum *interrogatus Quomodo Laboriosi & Industrij à Desidiosis & Oscitantibus differrent? Quo, inquit, Pij ab impiis*, SPE nimirum BONA. Sic Ego zoilos omnes & obtrectartoes alto supercilio despiciens

Nulla sit hac potior sententia.

SPE

SPE BONA ME PASCO, & hac ratione utor extendendæ Mortalitatis; immo inImmortalitatem vertendæ: Hæc dabit ad Æternitatem iter, & Me in illum locũ, ex quo nemo ejicietur ſublevabit. Ego ſane Peregrinationibus (aut Meo potius exilio) profeci; plura in lucem dedi, quæ Nomen creſcenti Famæ addiderunt: & quia juxta Plinium, *Nulli Clarum ſtatim Ingenium ut posſit emergere, niſi Illi Materia, Occaſio, Fautor etiam Commendatorque contingat;* Hos quæ ſivi, patronos elegi conſtituiq; publicè: ANAGRAMMATA inſcripſi; & quãquam vix pro omnium ſtomacho, certe pro Genij Mei lubentiâ. Placeant, diſpliceantve *Sat mihi* UNUS *ſat* NULLUS. Interim *Quatenus Nobis denegatur diu vivere, relinquamus Aliquid quo Nos vixiſſe teſtemur, & Memoriam Noſtri quam maximè Nobis longam Ipſi efficere ſtudeamus.* Faciam; licet interdum Ævo inſervire compellar, & quæ uno verbo AURA, UMBRA, NIHIL, ſcribere, quanquam & hæc Facilitatis Meæ culpa eſt. Si alicubi recuſem, ſunt, ajunt qui cum Plautino illo promittunt. Sed hi obſtreperi illi, quorum ſuperius mentio facta, quorum verſus ἐφήμεροι, neſcio quo beneficio hoc conſequuntur, ut

OMNIA ALIENA; TEMPUS TANTUM NOSTRũ EST.

Ducimur ut nervis alienis mobile lignũ.

cum

cum Sole oriantur & occidant; nisi
Illis quum semel occidit brevis lux
Nox est perpetuo una dormienda;
Adeo mendicabula illa (ignosce LECTOR quod eandem Cramben bis dem; movet indignatio) ac scelera hominum dum nescio quibus Evandrinis verbis versum farcientes purioremque Phœbū fœde inquinantes, offam sequuntur, neq; unquam Humoris Poetici steriles reperiuntur, quā quū ungues rodunt, aut caput scalpunt, planissimè Camelis simillimi, qui potu non gaudent, nisi aquâ prius perturbatâ. Horum Carmina vix enata pereunt, & raro ad Posteritatem transmittuntur: avt si qua corū unum aut alterum Lustrum attigerint, cum sibilo & strepitu tolluntur. O tempora! PORRO QVIRITES. Insaniendum est; Scyllæ & Charybdes sese ostentant. navigandum est in hoc æquore. Sed heic subsisto. Absit interea à Simplicitate Nostra malignus interpres: Improbe enim facit, qui in alieno Libro ingeniosus est. Tantum est. Tu LECTOR, Quisquis es, FAVE ET HAVE; &, si merui, Conatibus Nostris Faventiam saltem adhibe, si BONVS: sin MALVS, in perpetuam ito Morboniam.

Procul hinc procul este profani. Heu scelus, hev facinus

Digua tantorum laborum præmia scilicet.

EB:

EB: DOZENUS JUR: D. ac CONS: Dno: Johanni Neandro Sobrino suo.

S. P.

LEgi, mî Cognate, nuper oblatos mihi tuos Anagrãmatismos; legi subjecta Epigrammata lucem illis inferentia. Relegi etiam inter occupationes meas, & nonnulla, quód itá poscere viderentur, sæpius. Quæris quod meum de iis sit judicium. Dicam ingenuè. Mirum in iis ingenii tui acumen, mira sollertia, & dexteritas, mirus lusus & allusio mira. Non igitur non possunt delectare legentes, tam sententiis, quàm numeris, præsertim quos illi tangunt, quibusque noti sunt οἱ ἀναγραμματιζόμενοι. Alii quo loco eos habituri sint, nescio. Sed nonnullibi nimius videris in laudibus, itá ut vix adulationis notam evites. Delectum dices te habuisse virorum; tùm metro, ac meritis; gratiæ etiam aliquid dandum fuisse. Quid quod & nominibus interdum omen insit, cui te accommodâris nec aliter te itá ludere potuisse. Non absque ratione hæc omnia. Video etiam quos imiteris, quodque sit

con-

consilium tuum. Gratiam inire, ac referre cupis bene de te meritis, ac merentibus, merituris etiam. Priora illa duo, ùt rectè facta, probo: Tertium an obtenturus sis, dubito: Non enim ea nunc sunt tempora, non ii mores, ut possis homines ad benefaciendum tibi devincire. Rident sæpè suos benefactores, imò odio habent, ubi voti compotes sunt facti, ne aliorum beneficio opus habuisse videantur.

Ceterum nec tu fortè apud nonnullos planè eris absque risu aut odio; præsertim cum inter vina materiam ridendi quærunt. Aliis enim non satis tribueris, aliis plus æquo, aliis plus quam ipsis; mihi sanè abunde satis. Nec multi erunt, qui typographo τὸ γραμματεῖον porrigant, quo justius fraudarentur alii; quamvis tu aliter. Idcirco non est quòd te horter ad pergendum in tali instituto, quin potius â ludicris istis ad graviora te revoco: Medicum enim te quam Poetam malim. Quare refer te ex secessu illo novæ nostræ urbis in hanc veterem, & Æsculapio, ut fecisti, porrô litare perge. Nomen, rem, & favorem hæc tibi afferent majorem. Musæ ac Charites

rites in legendis tuis me quoque excitarant ad reponendum tibi hoc Anagrāma IN DEO ANNES Ἀνὴρ, cum Epigrammate jam meditato. Sed cùm Helicona jam dudum reliquerim, amplio, & cedo aliis; Cum quibus tu, præsertim cum bonis omnibus, salve, & vale. Dabā: BREMÆ, &c.

IN

Clarißimi Doctißimique Viri,

D. JOHANNIS NEANDRI

Medici, Philosophi & Poetæ

PRÆMETIUM

ANAGRAMMATUM.

JOHANNES NEANDER

ANAGRAMMA.

NONNE DEA? AH SIREN.

EPIGRAMMA.

OBstupuere nimis Podalirius atq; Machaon,
Ut videre tuum, docte Neander, opus.

Quo

Quo canis extremis portatas nuper ab Indis
Radices, herbas, ligna ſalutifera.
Munera, natales, progreſſus, commoda noſtræ
Artis, ut illa tuo creſcit ab ingenio.
Alta trahunt imo ſuſpiria pectore dictis:
Eſt nunc Germani Græcia victa manu!
Tantus Saxonicis Medicus ſurrexit in agris,
Græcia quo jaceat tincta rubore genas.
Sed Clariæ in riſum ſubitò, bona turba, puellæ
Vertuntur, vates dum novus, ecce, venis.
Dum Phagedænam aliis, fœdum genus, ulcera, morbos
Commendas, doctum teque Anagramma juvat.
NONNE DEA hoc noſtri pectus tibi limfat amore,
Ut medicas habeant vulnera noſtra manus?
Vos ego depereo, Clariæ, bona turba, puellæ,
Dicis, & AH SIREN limfat id una mihi!
Præmeſſum accipite hoc, meſſis quod opima ſequetur
Ingenium genio conſolidante meum.

Ludovicus Crocius D. amoris ergò deproperabat.

Aliud.

IOHANNES NEANDER

EN HÆRESN', NON? DA.

EN lepidas lexeis & pulchra emblemata! cunctis
Queis dare delicias docte Neander amas,
HÆRESN' an terris Anagrammata culta relinquas,
NONDA Velivolis fluctibus artis opus.
Ingenio & Virtute oras transit ur in omnes,
Doctrinæ ingenuæ pars quotacunq; manet,
Qui bonus est vatum nunquam monumenta repellit,
Ingenii verò pemmata grata colit.
Vive diu, & mentis venam deprome benignæ,
O Mecænatum digne favore frui!

Aliud

IOHANNES NEANDER

NON IS; ANNE HEDERA.

NON IS, sed patriæ præbes Encomia laudum,
Carminis & mulcet nomina clara latex,
Non ergo tua laus libitinæ cedet avaræ,
Quæ monstrat genii dexterioris opus.
ANNE HEDERA in promtu est cultis insigne poëtis?
Dignum laude virum Musa perire vetat.

M. Johannes Schildius.

Aliud

Aliud.

JOANNES { NEVMAN / NEANDER }

Per. Prænominis ἀναγραμματισμ. ἀντιθετ:

ANSENIO { *NEVMAN* / *NEANDER* } ?

V*Iderat arte* Novâ *NEUMANNUM pandere Musas*
Præmetiumq; Novi *præses Apollo*, viri:
Mox ait, ANSENIO (*miratus* nominis omen
Carminis & senium) *NEVMAN is esse potest?*
Metra Senem *referunt; at nomen, lumen, acumen*
Arsq; Novum. *Ergo SENEX inde NEANDER eris,*
Inde, NEANDER, eris SENIOR VIR, clarus in orbe,
Ingenio canus *Nomine & Arte* Novus.

Αὐτοσχεδίως *gratulatur L. M. Que*

Henr. Luthmannus Sch.
Br. Coll.

Aliud.

JOHANNES NEANDER
per Transpositionem
EN, NEANDER IASON.

Epigramma

IPsa Charis Nomen Tibi dat, Cognomen avitum
VIR dat: num dignum rebús utrumque suis?
Numquid quòd Charites æquet mens æmula? numquid
VIR lustres quicquid maximus Orbis habet?
Durus uterque labor; sed quid non vindice Phæbo
Audendum? Cedunt pervia cuncta Deo.
EN IASON, Patriæ, Sophos est doctusne NEANDER
QVoque cluit Medicus, quoq́ue Poëta cluit?

Consobrino suo dilecto

Academiam Altorphinam petiturus
in symbolum observantiæ reliquit

Hermanus Zierembergius, H.F.
Bremensis.

Aliud.

JOANNES NEANDER
per Transpositionem

ANNE ID? Νέος ἀνήρ:

Epigramma.

A*NNE ID? si ad JANI sic* Nomina *clara NEANDRI*
Alludens dicas, is Νέος ἐςὶν ἀνήρ?
Vir Novus *Ingenio*, novus *Arte*, novaque Poësi,
Nomine sic novus *est*, *Omine sic* novus *est*.
Vir Novus *inventis*, novus *est* Anagramate & ipso,
Omine sic novus *est*, *Nomine sic* novus *est*.
Da Maro, da Naso, da palmam victus Homere,
Cede Vetus Musa; hic nam Νέος ἐςὶν ἀνήρ.
Quin LECTOR volvis? lege, rellege, disce, tuére;
Nomine reqꝫ annon, dic, Νέος ἐςὶν ἀνήρ?

Johannes Muntze.

JOHANNIS NEANDRI
Philoſophi & Medici

ANAGRAMMATUM
DECAS PRIMA,

DIVUS HIERONYMVS.

Nemo cogitur legere quod non vult: petentibus publicavi; non faſtidioſis: gratis; non invidis: ſtudioſis; non oſcitantibus.

AD REVERENDISSIMUM ET ILLUSTRISSIMUM ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM, &c.

Hancce Tibi Decadem PRINCEPS commendo priorem,
A Te dum sumo PRINCIPE principium.
Abdita per Titulos PRINCEPS Tua Nomina habeto;
Præterea si quid non facit ad stomachum.

REVE-

I

REVERENDISSIMVS, ILLVSTRISSIMVS, ET CELSISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS,

DOMINVS JOHANNES FRIEDTERICUS, DEI GRATIA, ARCHIEPISCOPVS BREMENSIS, EPISCOPVS LUBECCENSIS, HÆRES NORWEGIÆ, DVX SCHLESUWIGÆ, AC HOLSATIÆ, AC STORMARIÆ, ATQVE DITHMARSIÆ; COMES IN OLDENBORCH AC DELMENHORST; &c.

ANAGRAMMA

Epigrammaticum.

ALTA DEVM SOBOLES, FAMA INVICTISSIME PRINCEPS,
NEC MINVS HEROICA NOBILITATE VIRENS,
HOC ANAGRAMMA BREVE (AN NE ROGAS CVR?) DEDICO; DESES
NEV VIDEAR. PAVCOS HOS CAPE VERSICULOS.
PLVRA LEGENT ALII QVIES OTIA SUMMA DEDISTI;
SîS, LEgE TU PRINCEpS; SIC TIbI pLURIS ERIt.
SED SI DiSpli CUi SUMMa an SOlatia CRESCEnt?
viX fuERint, Sed deS pRæmia Si placui.

II

JOHANNES FRIEDTERICUS ARCHIEPISCOPUS BREMENSIS.

Anagramma.

EHO PRINCEPS TIARAM FERENS! JESU, NOBIS, VI CRESCES.

EPIGRAMMA.

QValiter Asſyrios renovant incendia nidos
Una decem quoties ſæcula vixit Avis;
Taliter exuta eſt veterem Mea Muſa veternum,
Et ſumpſit vultus PRÆSULIS Ipſa Sui.
Ille Quis? Es PRINCEPS ne FERENS virtute TIARAM?
Esne EHO PRINCEPS? Carmina Noſtra canunt.
Cur? CRESCIS JESU, NOBIS, VI, tum bene cunctis,
Dum Verus Patriæ diceris eſſe Pater.

III

JOHANNES FRIEDTERI-CUS EPISCOPUS LUBECENSIS.

ANAGRAMMA.

ECCE TIBI PERPES HONORIS INFULA! NEC SECUS VIS.

EPIGRAMMA.

NUnc hilares, si quando Mihi, nunc ludite Musæ;
Cur? licet ingenti dicere voce: Placet
ECCE TIBI, PRINCEPS, culta INFULA num-
quid HONORIS?
Stat PERPES: NEC TU VIS SECUS: Ecce! Tibi
Dum peteret pars hæc Bellum, pars illa Triumphũ,
Promisit Pietas numquid utraque manu?
Non potuit melius litem finire. Triumpha
O Dulce Invicti PRINCIPIS Ingenium!

IIII

JOHANNES FRIEDTERICUS HÆRES NORWEGIÆ.

ANAGRAMMA

SI (IRA) IACUI; ANNE TE DEFENSORE SURGO? VERE.

EPIGRAMMA.

QVid rear? injustâ Fratris suppressus ab IRA
Si IA cui; numquid displicuisse Tibi
Interea potui PRINCEPS Celsissime? Non: dum
Ut Leo magnanimus fortia corda geris,
(Non meus est error) TE DEFENSORE resurgo;
SURGO, inquã, VERE, rumor in Urbe sonat:
Quid sonat? hoc: potui quod Te sentire Patronũ,
ANNE loquor grato publicus ore Cliens?

V

JOHANNES FRIEDTERICUS DUX SCHLEESWIGÆ.

ANAGRAMMA.

ERECTVS, AC LEO VIGEAS: IN FIDE NIXUS DURES.

EPIGRAMMA.

R Erum Certa Salus, Terrarum Gloria PRINCEPS
Nostrarum, dum Tu Carmina nostra legis,
Macte animi! AC LEO sic VIGEAS Celsissime PRINCEPS,
Dum vitanda vetas, dum facienda jubes.
ERECTVS VIGEAS, Rationis quinque Ministris
NIXUS ut, INque FIDE, Quæ Tibi Major erit,
DURES: namq; FIDES Solem contingit, & ejus
Scala vel ad summum pertinet usque polum.

JOHANNES FRIEDTERICUS DUX HOLSATIÆ.

ANAGRAMMA

ES HOSTI URTICA ANNIS ô DUX! FERI; LÆDE.

EPIGRAMMA.

NVmquid, eho, Tu DUX? DUX es Celsissime PRINCEPS;
Respicis & Nostræ gaudia vera Togæ.
His ANNIS URTICA FERI; Tu Pectora LÆDE;
Esn' URTICA HOSTI? Terruit Ipse? FERI.
Hos quoque secretos memorabit BREMA Triumphos;
Nec minor ista Tuæ Laurea Pacis erit.
Tune habitare jubes veteres sua tecta colonos?
Arboris ergo Tuæ tutior Hospes ero.

VII

JOHANNES FRIEDTERICUS DUX STORMARIÆ.

(X in G S.)

ANAGRAMMA.

ô TRISTEM IRRADIA, FOVE! CIGNUS ES ARDENS.

EPIGRAMMA.

SI quid forte petam timido gracilique Libello;
Improba non fuerit si mea charta, dato
PRINCEPS, hoc precor: O TRISTEMque FOVE, dum CIGNUS ES ARDENS,
IRRADIA, atque Manum porrige, quæso, Tuam.
Feceris aut si non, saltem permitte rogari:
Quæ nondũ data sunt, numne negata putem?
Hæc ego: sic breviter posita mihi Gorgone Pallas,
Gratuito præstas quæ volo; si merui.

JOHANNES FRIEDTERICUS DUX DITHMARSSIÆ.

ANAGRAMMA.

REDIS? FIRMO NEXU ADUNES: TRIAS HEIC ADSIT.

EPIGRAMMA.

PErvenisse Tuam nuper Te scimus in Urbem;
Nec Te BREMA minus quam Tua Terra colit.
Ad Nos ergo REDIS votis poscentibus? atque HEIC
Præsens nempe Tuâ lætus in Urbe sonas?
Ut FIRMO NEXU Terras atque agmina ADUNES
ADSIT Sancta TRIAS. Talia vota fero.
Feceris & desiderium Populique Patrumque
Augendo Nostræ Gaudia læta togæ.

VIIII

JOHANNES FRIEDTERICUS COMES IN OLDENBORCH.

ANAGRAMMA.

NUNC TRABES ELIDENS, HOC, IOCO, ORDINE FIRMES.

EPIGRAMMA.

CUr Gemina in Clypeo COMITUM *Trabs? Summus Utrique*
Auctor adest: Hæc sunt Cæsaris; Hæc COMITIS.
Illarum nixu fulcrum sibi conficit arctum
OLDENBORGIACUM *Stemma: loquetur Opus.*
ELIDENS *fortasse* TRABES *hoc tempore sed quum,*
HOC*que* JOCO, *fuerit perfidus ardelio;*
Hasce TRABES *iterum nexu* NUNC*q;* ORDINE FIRMES
Alme DEUS! *Nil his dulcius esse potest.*

X

JOHANNES FRIEDTERICUS COMES IN DELMENHORST.

(O in U.).

ANAGRAMMA.

EN; SI IN CRUCE ET MORTE DOMINI SALUS, FERSNE?

EPIGRAMMA.

DELMHORSTÆ in COMITUM Clypeo cur ſurgit in altum
Sculpta Crucũ facies? Nos meminiſſe CRUCIS
Vult PRINCEPS; CHRISTI ſed MORTE ET ſanguine niti
SI decet(IN DOMINI ſit CRUCE quumque SALUS;
EN FERS; namque decet JESU Nos Sanguine niti
Et Meritis: CHRISTI ſanguine nitor Ego,
Et Meritis. Virtute decet non ſanguine niti:
Non Virtute Meâ Sanguine CHRISTE Tuo.

DECADIS PRIMÆ FINIS.

JOHANNIS NEANDRI
Philoſophi & Medici

ANAGRAMMATUM
DECAS SECUNDA.

VOPISCUS.

Nemo unquam pervenit ad Virtutem ſummam jam maturus, niſi qui puer ſeminario Virtutum generoſiore concretus aliquid inclytum deſignaverit.

REVE.

REVERENDA ADMODUM DIGNITAte Spectabili, & Nobili Virtute ac Insigni Prudentia

Venerabili Viro

DN. LAURENTIO HEISTERMANNO

Jurisconsulto;

Ecclesiæ Fabiranensis Metropolitanæ Canonico;

&

Archiepiscopatus BREMENSIS Consiliario Provinciali,

S. D.

SEcundam Hanc, Quamvides, Decadem ANAGRAMMATISMORUM Meorum Tibi datum dicatumque eo Reverende admodum HEISTERMANNE; atq; intimo hoc voto Meo; utinam Majus aliquod aut speciosius. Certe merebaris. Dignitas Tua facit, Quam Virtus & Principum Favor Tibi conciliarunt. Res mira; & pæne supra fidem, quod ea Virtutis vis, ut sine lenociniis, sine conciliatrunculis Ipsa sese commendet; & quamvis nihil ad gratiam faciat, omnia tamen grata sint quæ facit: Quinetiam vel invitum Te investigavit Honos. O Laudem insignem, & omni omnino præconio majorem! Injuria Tuarum Virtutum esset, Famam, & dignam Fastis Annalibusque Tui Memoriam unius paginæ angustiis strangulare. Quare supersedeo, rogoque Hanc Decadem, Cujus & Tu Membrum, tangas ac tollas. Tu facias: Hoc per Tuum Ego Te Genium obsecro. VALE ET HAVE. BREMÆ SCRIB.

JOHANNES NEANDER
MEDICUS AC PHILOSOPHUS.

REVE-

REVERENDISSIMUS ILLUSTRISSIMUS, CELSISSIMUSQUE PRINCEPS AC DOMINUS

DOMINUS FRIEDTERICUS, DEI GRATIA, DUX BRUNSWICENSIS AC LUNENBORGENSIS, &c. SUMMUS PRÆPOSITUS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BREMENSIS; PRÆPOSITUS IN BUCKEN, &c.

ANAGRAMMA

Epigrammaticum.

OMNIA DET TIBI VELLE DEUS, CULTISSIME PRINCEPS
FRIDRICE. EN! SUMMO NUMINE NON-NE DEI
CONSILIIS MULTIS POPULIS SUCCURRIS? ET IN RE?
hOC VIRTUtIS ItER; CÆtERA MORtIS ERUNt.
SVBMISSE INtEREA TU, DUX, PERMIttE roGAri;
offeNdunt nUnQvAm thUrA PreCesque joVem:
& Bene SuBCreScce, Atque viGeScе, vireScce, vAleSce,
Sorte, BoniS, anniS, SoSPite mente, Deo.

REVERENDISSIMUS, ILLUSTRISSIMVS, CELSISSIMVSQVE PRINCEPS AC DOMINUS,

DOMINUS ADOLPHUS,

DEI GRATIA, HÆRES NORWEGIÆ; COADJUTOR EPISCOPATVS LUBECCENSIS; DUX SCHLESWIGÆ, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, AC DITHMARSIÆ; COMES IN OLDENBORCH, NEC NON DELMENHORST; ARCHIDIACONUS TERRARUM HADELERIÆ, ATQVE WURSATIÆ, &c.

ANAGRAMMA
Epigrammaticum.

REGIA PROGENIES, GENERE ILLUSTRISSIME PRINCEPS,
EST INTER LAVDES HÆCCINE LATA TUAS,
QVOD NON INVITA gESSISTI BELLA MINERVA
CÆSARIANÆ AQVILÆ? CÆSARIANUS ERAS.
MACTE BONIS AVIbVS! CAVSSA EST DUX INCLyTE: DICO:
CAVSSA EST: HEM! CERTO; qVa RatIOne? DEUS
CUR DICIt DOMInVS SeRVOM VOLO qVeMqVe fIDeLeM?
PeRPetUO MOS eST ReDDeRe CuIqve SuOM.

D. D. R. R.

FRATER

FRATER FRIEDERICUS

DAVENSBERGIUS SS. Theologiæ Licentiatus;

ARCHIABBAS HERSFELDENSIS,

&

Ordinis S. *Benedicti* Visitator, &c.

ANAGRAMMA.

ABS FIDE ERRANTES REDUC: FRUGI VIR ES.

EPIGRAMMA.

Nusquam certa Fides; in partes scinditur Orbis;
Quis jam, Qui cuncta hæc corrigat, Alter erit?
Tu FRIDRICE REDUC ERRANTES; Schismata tolle;
VIR FRUGI ES; Pergas (nam fuit una Fides)
ABSque Mora; Perge; atque habeas post præmia vitæ;
Magna quidem: nec Te terreat ergò Labor.
Cui bona multa DEUS concessit, plura requiret,
Ni dispensârit quas bene cepit opes.

IV

FRANCISCUS MAERESCHALLUS.

Metropolitanæ Ecclesiæ BREMENSIS DECANUS;
Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S: ANSCHARI in Eadem Urbe;
ut &c.
Monasterij zur Himmelpforten / etc.

ANAGRAMMA

CELSUS CRESCAS; FIRMA LUNA.

EPIGRAMMA.

NObilium Exemplar referens imitabile Morum
Es FRANCISCE Tuum Nobilitando Genus.
Contemnis Laudes meritas, licet usque sequantur
(Cernere dum non vis) Corpus ut Umbra suum.
Hinc CELSUS CRESCAS LUNA ut, dum FIRMA ministras
Obscuris Lucem. Lucis in Æde vices
Namque geris PETRI: Dignè &: Constantia Vitæ
Arguit Ingenij vim Geniumque Tui.

FRATER

V

FRATER EMMERICUS FUNCKELER

ABBAS Monaſterij D. Virginis in Stade / &c.

Adminiſtrator Monaſterij Novi,

&

Coenobij Zevenſis, &c.

ANAGRAMMA

LUMEN FERE CIRCUMFERS ARTE.

EPIGRAMMA.

PRæclarum Lux Ipſa dedit Tibi ſplendida Nomen,
Splendeat egregiè Nomen ut inde Tuum.
CIRCUMFERS etenim radiantia Lumina, digna
Te EMMERICE, Tuo digna ut & Ingenio.
Ecce, FERE LUMEN CIRCUMFERS ARTE. Quid ergo
Claroris? Næ Alij re ſine Nomen habent?
Nomina non ſine Re Tua ſunt, ſint Nomina quanquam:
Qui vivunt Alij Re ſine Nomen habent.

THEIODORUS CLUEVERIUS

Cathedralis Ecclesiæ BREMENSIS

Canonicus ac Senior;

Præpositus zu Wildeßhusen ac Lilienthal / &c.

ANAGRAMMA

VI, UT VIR HEROS, LUCES DEO.

EPIGRAMMA.

SI magni Stirpem facimus CLUVERE, Beatum
Cur non Te liceat dicere? Nempe DEI
Fidus in Æde clues, LVCESque UT *Maximus HEROS*
Nempe DEO, Patriæ, VIR Venerande, Tuæ.
Quem Tibi Primatum si zoilus ipse negaret,
In Laudes facerem Carmina Mille Tuas:
Sed Tibi Primatum nec zoilus ipse negavit;
VI verum dicet. Cur? Quia vera loqvor.

VII

OTTO ASCANIUS FRESE

Cathedralis Ecclesiæ BREMENSIS

Canonicus & Scholasticus;

Præpositus Ecclesiarũ SS. WILLEHADI & STEPHANI in Eadem Civitate, &c.

ANAGRAMMA.

COÏNSTAS? VOTA FERES.

EPIGRAMMA.

QUi Voto potietur, & Hic patiatur oportet;
Constans Vota feret Quæ Nova semper erunt.
Sæpe quod optatum speratum vix fuit, Ipse
Quum speres FRISI, num Pia vota feres?
A Domino Tu VOTA FERES. Consiste: COINSTAS?
Fac semper Constans: Post mala Victor ovat.
Nobile vincendi genus est Constantia. Vinces:
Namq; Tibi Coelum Meta, Scopusq; DEUS.

VIII

CHRISTOPHERUS VAN DER KUELAH

Metropolitanæ Ecclesiæ BREMENSIS *Canonicus & Cantor*; Præpositus Coenobij Osterholte / &c.

ANAGRAMMA

AVDI HONESTA; PULCHRE CURRES.

EPIGRAMMA.

MOribus, Ingenio, Formaque, Ætate, Bonisq;,
Certatim facis ut Te Tua Facta probent.
Naturâ es Mitis, Fortem Prudentia reddit
Te KULAH; atq; bonâ Dexteritate viges,
Sirenum fugiens cantus. & pocula Circes,
Artis & Ingenij dotibus addis opes:
Hinc PULCHRE CURRES. Cur? Curas semper HONESTA:
AVDI; Est Hic per Te perpetuandus Honos?

IX

JACOBUS A GOEREN

Cathedralis Ecclesiæ BREMENSIS

Canonicus & Thesaurarius, &c.

ANAGRAMMA.

ACER BONO VIGEAS.

EPIGRAMMA.

V*Ir Bonus est Commune bonum*, vulgariter ajunt:
Nec minus Arpinas Tullius istud ait.
~~Tu Bonus, et Simplex~~, Linguaque ac Pectore Verus
Candidus et bonus es,
Dum IACOBE viges, dic mihi quid facias?
Quod nec Melpemone, quod nec Polyhymnia posit,
Nec Pia cum Phoebo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratum Musis Tibi Nomen adoptas?
Perge: ACER VIGEAS Simplicitate BONO.

LAVREN-

X

LAURENTIUS HEISTERMANNUS Jurisconsultus;

Metropolitanæ Ecclesiæ BREMENSIS Canonicus,

&

Archiepiscopatus BREMENSIS Consiliarius Provincialis.

ANAGRAMMA

NUMNE VIRTUS ÆTERNAS? LIS?

EPIGRAMMA.

QVid Chartis, Populisque damus, Famæque loquendum
Te Quem sit Cineri fas superesse suo?
Cur? Si Tu VIRTUS (Sophies quæ principium & fons; *.)
ÆTERNAS; NUMNE heic das documenta Tuo
HEISTERMANNO? Heus, est LIS? Non, per sæcula cuncta
ÆTERNAS VIRTUS, NUMNE? Perennis ovat.
Quem penes est Virtus. Virtus Sapientia prima:
Ingenio fruitur nam propiore DEI.

*. Horatius Virtutem Humanam definit hoc modo:
Virtus est vitium fugere; & Sapientia prima
Stultitiâ caruisse.

DECADIS SECUNDÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Philosophi & Medici

ANAGRAMMATUM
DECAS TERTIA.

Nazianzenus.

Præcipuum Beneficium eſt in rebus Honeſtis laudari: Lavs enim parit Æmulationem; Æmulatio Virtutem; Virtus Felicitatem, Qvæ Finis eſt omniũ quæ deſiderantur, & quo omnis Viri Boni Motus refertur.

NOBILI-

NOBILIBUS, MAGNIFICIS, AMPLISSImis & Consultissimis Viris, Quorum Anagrammata in Tertiâ hac Decade,

JOHANNES NEANDER

Medicus & Philosophus

S. D.

NOBILES, MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI VIRI; Calamo viam ad Amiciciam Vestram sterno, Quos ritu & formulâ Laconicâ θεῖος meritò appello: ità dum Virtutibus cunctis litatis, Famâ in Vobis revereor. Adoravi jam antea Genium Cujusque Vestrum, non indigno plane plæriquorum redhostimento; & erigitur etiam nunc Animus meus ad hæc studia felicius, dum sibi vaticinatur, Hæc libamenta Vobis non ingrata, quæ Musarum nomine offero. Vos NOB: & MAGNIF: Viri nomini Meo de Vestro Nomine sive Felicitatis sive Gloriæ umbram aliquâ concedite; paucaq; Hæc, quæ libo, ad Famæ Vestræ Aram admittite. Si spes ea non decollabit, Virgulam Divinam tanti haut fecerim. Qvum vacabitis perlegite quæ voveo, Imaginem Vestri Posteritati paraturus. offendetis si non Ingenij aut Doctrinæ, at certé Ingenui Animi signum. Interim Vos veneror, ne istud Votorum Meorum exile Monimentum de Vestris Aris refigatis, maximè Illa Manu adpensum, Quæ, si templi Vestri fores ad Has Laureas recluditis, aliâ se aliquando Pallade Vobis adprobabit. VALETE AC HAVETE. Bremæ.

CHRISTO-

I

CHRISTOPHORUS JOHANNES A BUILOWE
Præfectus in Trembsbuttel / & Steinhorst; &c.

ANAGRAMMA.

PACI INSTARI VOVEO: VORSO LUBENS.

EPIGRAMMA.

AUrea BUILOVI veniet num Præsulis ætas?
Adsero: Quid Nobis gratius esse potest?
Hocce LUBENS Mecum dum VORSO, Siccine adauget
Lætitia Ingenium? dico. Placere putes,
Dum PACI INSTARI VOVEO: namque invidet hosti
Quisque suo, veniat Laurea multa licet.
Reges belligerent; faciant & foedera Reges;
Est Aliquid serâ denique Pace frui.

GOTTLE-

GOTTLEVUS AB HAGEN

Hæreditarius in Hanßhagen/Pômen/&c.

Canonicus Lubecensis,



Reverendissimo Principi à Consiliis intimis &c.

Anagramma.

TU LONGE BEATUS AGE.

Epigramma.

SOla poteſt Homines Felices reddere Virtus,
Principio quamvis aſpera prima via eſt.
Perpetuò durat Virtus, Doctrinaque firma eſt;
Inque Illam Sors nil quod dominetur habet.
Hæc GOTTLEVE Tibi Laudemque Decusque paravit:
Hæc facit ut reliquis ſis potiore loco.
Clarior haut natos ſequitur Laus ulla. BEATUS
Hinc AGE TU LONGE: Nil timuiſſe potes.

HENRI

HENRIGVS ABS HAREN

I.U. ac Medicinæ. Utr. Doctor;

Consiliarius,

&

Vice- Cancellarius, &c.

ANAGRAMMA.

SANA: BENE CURRIS.

EPIGRAMMA.

LEgista & Medicus sunt Juris Uterque periti:
Hicne Ægros? Alter jure tuetur Agros?
Jus dare Cuique suum didicisti HENRICE Clienti;
Ægroto Medicus Jus dare Cuique suum.
Hinc Te felicem! Curnam hoc? Fortasse requiris?
SANA Qua CURRIS Conditione, BENE.
Intra Cancellos permissa potentia, Leges
Ut tractes. SANA: vix alit Aula parem.

DETTLEVUS REVENT-LOVIUS

Reverendissimo Principi ab interiori Thalamo, ac Consiliis, &c.

ANAGRAMMA.

EN, LUDE TU; VIRTUTE SOLVES.

EPIGRAMMA.

CVi favet, *Hunc* Princeps Reverendus *Honoribus auget:*
Est Sapiens: Dignus Qui sit Honore favet.
Principis *Hæc Virtus Magni est insignis: Amore*
Dignatur Dignum Te DETELEVE: Favet
Et Tibi, Teque suum vocat Archiepiscopus: *Ecce,*
Te jubet esse suum! Præmia magna petis?
EN, LUDE; ac ludens si perdis & omnia, SOLVES
TU VIRTVTE; DEO traditur Illa Tibi.

THEODO-

THEODORUS LANGIUS

Juris Utriusque Doctor, & *Consiliarius, &c.*

ANAGRAMMA.

UNI DEO GRATUS; SOL.

EPIGRAMMA.

QVanta Tua est Probitas! Quanta est Præstantia LANGI,
Cui nullus niveâ Simplicitate prior!
Omnia sed tanto multùm superantur Honore,
Virtus spectantem Te quod habere cupit.
UNI *quippe* DEO GRATUS, SOL *Alter haberis,*
Quem loquitur grato plurimus ore Cliens.
Hinc cur Te celem sublimi pectore Vatem,
Cui referet serus præmia digna Civis?

VI

JOHANNES HELMIJUS

Juris Utriusque Licentiatus,

&

Reverendißimo Principi à Consiliis, &c.

ANAGRAMMA.

NISI LUMEN ES: AJO.

EPIGRAMMA.

EXercent inter se in Te Certamen Honoris
Doctrina, ac Virtus, Ingeniumq; Tuum.
Hac Tria dum specto (verear cur dicere verum?)
ESne HELMI LUMEN? Tu NISI LUMEN eris,
AJO. Cur? Notum Tibi Jus, Naturaque Juris.
Quid? multumne Tuo pendet ab ore Cliens?
Leges disponis de re quacunque. Videtur
Esse & viva Tuum Bibliotheca Caput.

VII

MARTINUS GEERHARDI

Juris Utriusque Doctor,

&

REV. PR: Consiliarius Lubecensis, &c.

ANAGRAMMA.

ERRANT: MUSA DIRIGE.

EPIGRAMMA.

STandum est; sed non stare potest, quia lubricus, Orbis:
Conantur multi stare; sed ecce! cadunt.
Cur? ERRANT Plures: Tu DIRIGE, Corrige MUSA
Quâ licet: Optato semper Amore fove
GERHARDI Errantes; Tibi namq; Peritia rerũ
Est, atque Eloquij vis animosa boni.
Nescio cur cesses: Te Carmine nempe canemus,
Si monstres Quem Te Secula Nostra putant;

VIII

DETELEEVUS SCHULTETUS

Canonicus Lubecensis & Ratzeburgensis, &c.

ANAGRAMMA.

ET SEDES, ET LUCES VULTU.

EPIGRAMMA.

SCULTETE Astrea Phoenix rarißime Divæ,
Idem & Apollinei fulgida gemma Chori;
Anne Tuis semper Pitho sedet aurea labris?
Anne Tuo Pietas Pectore Sancta sedet?
Quoque magis sacræ feriant hæc Pectora Musæ,
Quas Equitum cretus Sanguine rarus amat;
Nonne SEDES, LUCES ET VULTU, ET Pe-
ctore? Sic est.
Quanta erit in tanto Laus Tibi dicta Choro?

IX

HENRICUS VON DER DEKEN

Canonicus Lubecensis, &c.

ANAGRAMMA

UNDE VIR? CRESCENDONE?

EPIGRAMMA.

IN Castris Te Musa suis Puerum alma probavit;
In Castris Juvenem Delia Diva suis
DEKENI. Inde Virum laudat Te publica fama;
Kedinganæ audis Nobilitatis Honos
Insuper. Ast unde Hoc? Dicam. Prudentia rerum
CRESCENDONE auxit Commoditate Tibi
Vires, UNDE VIR? Hincce Virum Te nonne Prometheus
Finxit? & Ingenium grande Minerva dedit?

X.

FRIDERICUS AB HOLSTAIN

Canonicus Lubecensis, &
Ratzeburgensis, &c.

ANAGRAMMA

FIDELIS AC BONA TURRIS.

EPIGRAMMA.

DUlce suum Cuiqve est; *Tibi mellitißima cura*
Bellonam & Musas usque fovere sacras
FRIDRICE: Hoc delectaris Tu tempore quovis;
Inde Tibi, merum Nectar, & Ambrosia
Sunt. Est Nobilitas Arti conjuncta: LUBECA
Hinc vocat Urbs; *RATZBURG ambitiosa petit.*
Cur? TVRRISne BONA es? BONA sis, TVRRISque FIDELIS!
Quid superest optem quod Tibi serô? MORI.

DECADIS TERTIÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS QVARTA.

Cicero Officior. 2.

Quorum prima ætas propter humilitatem & obſcuritatem in hominum ignoratione verſatur, Hi ſimul ac Juvenes eſſe coeperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis contendere debent: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur.

NOBILIBUS, STRENUIS, PRUDENTISSIMIS, Eruditione, Virtute, ac Prudentiâ Ornatißimis Viris, Quorum Anagrammata in Quartâ hac Decade,

JOHANNES NEANDER

Medicus ac Philosophus

S. D.

NOBILES, STRENUI, PRUDENTISSIMI, & Ornatißimi Viri;

DEcadem Hanc Anagrammatum Quartam, priusquam publicè promo, Vobis, solemni Veterum ritu, sacratum sive libatum eo; debitum Vestræ in Me Humanitati. Hanc Dignitas, Virtus, & Doctrina Vobis conciliant; de quibus nescio an publicè debeam dicere, qvum publicas voces Modestiæ studio Vos restringatis. Inflant quidem Dignitates, aut certé adflant & quatiunt Liberum omne Pectus: Vos verò tam expressum & propinquum Modestiæ exemplum exhibetis, ut à fastu hæc omnia vindicetis; nec tamen ad plebejam humilitatem devolutas literas suspitare sinitis; sed Animum Ipsum in Libris cottidie occupatis, & lectionis fructum manu menteq; carpitis. Vos in illa Dignitate Musas colitis, & in isto Ingenij & Generis splendore Cultum amatis, Curas publicas Studiis Privatis temperatis. Igitur ad Benignitatis Vestræ fontem eo, ut ad majorem proventum Ingenij Mei hærediolum Favoris Vestri irriguo latice foecundetis. ô annuite, & adfluite! Voveo, & Vos REVERENDISSIMO PRINCIPI, Vestrisque diu superstites, BREMÆ &c.

I

CHRISTOPHORUS A KNESEBECKE

Hæreditarius In Witing &c.
Præfectus In Oldenborch & Cosclow/&c.

ANAGRAMMA

ECCE! BONIS, PER TE, CORUSCAS.

EPIGRAMMA.

Astræam in Coelos dicunt migrasse; sed error
KNESEBECKE hic est: Pectore Diva Tuo
Namque habitat semper: semper Themis aurea dictat,
Quæ scribenda Tibi, quæque loquenda putet.
Insuper ECCE! BONIS, PER TE, Vir Magne, CORUSCAS;
Es Pietatis Apex, Integritatis Honos.
Ergo quod in Terris sit adhuc Astræa superstes
Quæque facis cuncta, & quæ loqueris ne probant?

DANIEL-

DANIEL VAN ESTORP

Hæreditarius In Gottsdorff /&c.
Capitaneus,
&

Præfectus Judiciorum Archiepiscopalium
Terræ Kedinganæ,&c.

ANAGRAMMA.

EN, TU PRODES: LANIA.

EPIGRAMMA.

M*Arte potens, atque Arte Vir es; Te Læta quadrigis*
Fama serenatis portat in ora Virûm
ESTORPE. EN, PRODES Cunctis, Miserisque Salutem
Reddis. dilectus nempe DEO atque DUCI.
Num Fax *Illa* Ducum, Patriæ Pater Optimus, *hinc Te*
Quo pollet magnæ Mentis amore fovet?
TU *perge; & LANIA vitiosa atque impia facta*
Cuncta, ut lethæis subjiciantur aquis.

JOHAN-

III.

JOHANNES HENRICUS VON DER DEKEN

Hæreditarius Im Bruche des Landes Keding;

Reverendißimo Principi ab interiori Thalamo, &c.

ANAGRAMMA.

EN! ANNE IN DEO VERO CRESCIS? UND'?

EPIGRAMMA.

FOrmidanda malis sequitur quia poena perennis,
Pro Meritis Iustus præmia justa feret.
EN! Quoniam hoc Tuscis DEKENI Munere juste
Fungeris: & dum Tu nil nisi Justa cupis,
IN VERO ANNE DEO CRESCIS? Sic inquio;
At UNDE hoc?
Nam video: Crescis vividiore Bono.
Accusent si mille licet, Mens conscia Recti
Stat tamen, & nunquam Judicis ora timet.

JOHANNES CLAPMARIUS

Medicinæ Doctor;

Reverendissimi Principis Archiater &c.

ANAGRAMMA.

NON MIRA; ÆSCLAPIUS.

EPIGRAMMA.

TRes Medici facies Ægrotis esse videntur
Heus CLAPMARI! Hominis, Dæmonis, Æsclapij.
Quamprimum accedit Medicus, dicitque Salutem,
En Deus! aut Custos Angelus! Æger ait.
Quum Morbum Medicina fugaverit, Ecce, Homo! clamat;
Quum poscit Medicus Præmia; Vade Satan!
Quidam posthabitâ quærunt sua Lucra Salute,
Hæc NON MIRA! facis: Talis es ÆSCLAPIUS.

SEGEBADO

V.

SEGEBADO VON DER HUDE

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
in Urbe BREMA,
Subsenior
&
Thesaurarius;
Archiepiscopalium Arcium
Ottersberg/
Tedinghusen/&
Langwehdel
Præfectus &c.

ANAGRAMMA.

GAVDE DEO; DURES BENE.

EPIGRAMMA.

ÆAcides nimium, nimiumque effertur Ulysses
Laudibus, & magnum Nomen Homerus habet.
Tu SEGEBADO Illis quanto meliore voceris
Adsimilis jure, Hoc jam Tua Facta probant.
Num Tua Facta probant? DURES BENE: *nam placet Illi*
Cujus Tu vero Numinis Igne cales.
Ergo DEO GAVDE, DURES BENE: *Sicq; Beandus*
De Vero Æternum dege: Beatus eris.

ADAMUS

VI

ADAMUS BARNERIUS

Hæreditarius In Neperstorff/
Præfectus Venaturæ &c.

ANAGRAMMA.

ARDUIS SAN' BEAMUR.

EPIGRAMMA.

AUdentes pia Fata juvant Conamine dio:
Ardua tentantes Gloria quanta manet!
Ardua namque Beant: SANE. Curque? Hisce BEAMUR
Quæ Nomen flammis eripuisse solent.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci:
Pingue solum lassat, sed juvat ipse Labor
BARNERI: Hunc Summi sequitur Benedictio. Macte!
Hincque datur Fato prosperiore frui.

VII

JOHANNES VAN SCHWAANESWEHDEL

Hæreditarius In Schwanewehdel/
Nobilis Aulicus &c.

ANAGRAMMA

ANNE VALE; VENI NOVA SALUS, DECUS.

EPIGRAMMA.

QVid modò pro Strenâ mittam Tibi JANE? Precabor
Quod DECUS? Hocce precor; Sit Tibi, JANE, Salus,
ANNE VALEQVE, VENIque SALUS NOVA: Prospera Cuncta
Sint SCHWANWEDLE Tibi! sint Tibi Cuncta Nova!

LECTORI.

Qui legis hæc, de pelle Tuâ depelle Vetustum,
De Cute peccati decute triste jugum.
Est opus incoepto. Prorsus tentare recusas?
Ingenij debes pondus habere Tui.

VIII

ADAMUS THEIODORICUS VAN BUILOWE

Hæreditarius In Wedendorff/

Nobilis Aulicus.

ANAGRAMMA

EHO! NUM LABOS UDUS DURA VICIT?
AJO EU.

EPIGRAMMA.

TUne viges magnæ ſubnixus robore Mentis
BUILOVI? Numquid Judicioq; vales?
AJO EU: *Nempe LABOS* UDUS *Tuus Omnia VICIT*
DURA: Θεῦ δῶρον *ter THEODORUS ovas.*
EHO! NUMquid ovas? Ajo: Eſt Honor additus; urges
Hunc, ne poſſeſſor deſinat eſſe Tuus.
Perge; utraque manu complexuque adſere toto:
Sic referet Fortem Cor Juvenile Virum.

IX.

JOHANNES CORFIUS

Hæreditarius zum Dornbussche/
Nobilis Aulicus.

ANAGRAMMA.

CORONA SEV FINIS.

EPIGRAMMA.

TExta Rosis fortasse Tibi vel divite Nardo,
An Tibi de Gemmis facta Corona placet?
CORFI? Dic: Virtute Tibi Phoebæus Apollo
Serta paret nullis interitura rogis.
Nulli cede. DEO Ductore insignia facta
(Nam Virtute etiam Consilioque vales;)
Ambi. Adsit FINIS, veniat SEV texta CORONA,
Æternum Genius Quam dabit esse Decus.

X

ANDREAS MUSELIUS

Reverendissimo Principi à Sacris, &c.

ANAGRAMMA.

VALENS ARDE MUSIS.

EPIGRAMMA.

QVem DEUS *Ingenio donavit ad omnia nato,*
Hic est Sionidum Philosophumq; nitor.
Visne hæc ipsa Tibi MUSELI est? Est Tibi MU-SIS
ARDE hinc ergo VALENS: Major Atlante Mihi
Sic eris. Hic Coelum, Tu Mente & Dogmate CHRISTUM
Fers: Non sis igitur major Atlante Mihi?
Vive, vigeque diu; Multorum perge Saluti
Esse Salus: Coelo Te juvet Ipsa Salus.

DECADIS QVARTÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI

Mediciac Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS QVINTA.

Seneca Epiſt. XLI.

In homine lauda quod nec eripi poteſt , nec dari; quod proprium hominis eſt. Quæris quid ſit? Animus & Ratio in Animâ perfectâ &c.

FAMÆ INTEGRITATE, PRVDENTIA, & Autoritate Spectatißimo, Gravißimoq;

DN. HERMANNO ZIREMBERG,

Præfecto Judiciorum Archiepiscopalium in Civitate BREMENSI,

Adfini Suo, &c.

JOHANNES NEANDER

Medicus & Philosophus

S. D.

INTEGERRIME ET SPECTATISSIME ZIEREMBERGI; Quintam Huius, Præmetij Decadem Tibi deberi videor, Quem velut Adfinem & Benefactorem amo. Amorem, quem mereris cum Inscriptione Hac sisto, ut commendem: nec quá dono mutuum stipulor, quia, ecce donando restrictus sum. Amicus certe sum; & quia sum, puro candidoque pectore exiguum Hoc esse Donum profiteor, aut signum potius Doni, sive Pignus. Interim Nomen Tuum Literario Hoc Munusculo cur non ornem, etsi Titulis satis & Familiæ Decore ornatum? Immo verò ornor Ipse, & excitor ad Familiæ amorem atque Tui. Signatum Mihi votum est. Tu perenna Optime Adfinis Quem Amicum privatim, Benefactorem publicè scribo, ac saluto. BREMÆ.

LAVREN-

I.

LAURENTIUS MARQUARDI
Præfectus VORDENSIS. &c.

ANAGRAMMA

LAR IN UTRUMQUE RADIAS

EPIGRAMMA.

SUmma licet velox MARQUARDE pericula ludas,
Non tamen efficies, ut Tibi parma cadat.
Nam RADIAS quasi LAR; ſemperque IN UTRUMQUE paratus
Quum ſis, Arte opus eſt, ut Tibi parma cadat.
Loricam, Clypeumque Tibi, Galeamque Minerva
Contulit; eſt tenerâ levis & haſta manu;
Succurrat quamvis inimica odioſaque turba;
O Felix, ſi quam tam bona Fata manent!

De Prænomine LAR vide Epitomen Julij Paridis de Nominibus, ubi Lar Herminius Conſul Romanus.

II.

BALTHASAR GLOXINUS

Præfectus zum Newenhuse/
&c.

ANAGRAMMA.

LUX SAT LARGA BONIS.

EPIGRAMMA.

OMnia quum pereant, Mens omnis criminis
expers
Gaudia vera dabit; Gloria Finis erit.
Optima tunc Mens est, quum Vita est criminis ex-
pers,
Quæ quò major erit, Gloria major erit.
Turpibus ac pravis GLOXINE es criminis ultor.
LUX SAT LARGA BONIS sed. Decus
esse potes.
Justitia & Bonitas sunt Veri Judicis Artes,
Hæc sunt Arma Quibus nulla nocere queunt.

JOHAN-

III.

JOHANNES FRIDERICUS STOLTINGIUS

Præfectus In Hagen/& Stotel/ &c.

ANAGRAMMA.

IN SONIS TUTE GLORIFICANDUS ERIS.

EPIGRAMMA.

N*Ascitur indignè per Quem non Noscitur Alter:*
Tu Nasci, Nosci Tu Mihi Dignus eras
STOLTINGI: Integritas Te nam commendat; & ardor
Ingenij Populo Conspicuumne facit?
Officium tribuit Princeps *Tibi jure; Palæstram*
Namque ornas Hanc, Te mactat Honore Themis.
Quis non adplaudat? Themidis sis qvumque Sacerdos
INne SONIS TUTE (hevs!) GLORIFICANDUS ERIS?

IV.

COENRADUS THEBELL

Præfectus In Buxtehude
&c.

ANAGRAMMA.

BELLENE CORDATUS?

EPIGRAMMA.

PLæraque ad ambiguum properet licet Actio finem,
BELLE es CORDATUS; Nam Tua facta docent
THEBELI. Hinc Princeps *Leges commisit, Abundè*
Teratus Officiis Nestori adesse parem.
Et meritò: Novit quod sis sine labe Fidelis,
Inque Tuis perpes Fructibus insit Honos.
Quæstu Alij crescant præ Te: Tu Princepis *Omen*
Implebis Genij Dexteritate Tui.

HERMAN-

V.

HERMANNUS ZIEREMBERG

Præfectus Judiciorum Archiepiscoaplium in Civitate BREMENSI &c.

(z in TS.)

ANAGRAMMA.

NUM MERERIS GRATES? BEN'.

EPIGRAMMA.

DUm Mandata Tibi ZIRMBERGI credita servas,
Non suspecta Fides; Sat, scio, testis erit.
Insuper & meritam quovis Tibi tempore Laudem
Accummulatque DEUS, perpetuatq; DEUS.
Macte, heus! Quidni igitur jam Te mea Musa celebret,
Atque vetet plebis more frequente mori?
Quid restare loquar? GRATES Tu NUMne MERERIS
A Domino? BENE sit dicere nil opus est.

BERNHAR-

VI.

BERNHARDUS HOUCKENIUS

REV. S. CELS. Secretarius, &c.

ANAGRAMMA.

ARDUUS IN REBUS: NEC HOC.

EPIGRAMMA.

ARtibus à teneris imbute fideliter annis
HOUCKENI, es Generis Gloria quanta Tui!
ARDUUS IN REBUS: Sensum Ratione gubernas,
Principis *& Jussu non nisi Justa cupis.*
Audiat hoc præsens venturaque nunciet Ætas,
Illi Te fidum Nestora. Sed NEC & HOC:
Tres Charites, Septemque Artes, Ter-Tresque Sorores
Te prohibent Caussas dicere; Nosse docent.

JOACHI-

VII.

JOACHIMUS BOLTENIUS

REV. S. CELS. Secretarius Cancellariæ, &c.

ANAGRAMMA

MOBILIS HAVT ES: VINCO.

EPIGRAMMA.

Libertas aliis facilis quæcunque videtur,
Libera non Tibi: Cur? Te Ratione regis,
Quæ Tua revera Laus Optima; mox JOACHIME
Maxima. MOBILIS HAVT ES, Simul Omen habes.
Litigium est? VINCO. Cur? Tu nam maxima ut Incus
Non metuis strepitus: Prima figura manet!
Quî fit? Quî? Pectus firmat Constantia. Talis
Vera Boni & Docti Laus solet esse Viri.

NICOLA-

VIII.

NICOLAUS DEEMEL

Præfectus Judiciorum Archiepiscopalium
Im Oldenlande/ &c.

ANAGRAMMA.

CALLESNE DEUM? JO!

EPIGRAMMA.

QVænam Nostra Salus? CHRISTUM novisse, Patremq;,
Quo sine qui quærit cunque Salutis iter,
In mediâ glacie Violas, interque pruinas
Lilia, & ardenti quærit in igne nives.
Non sic Tu DEEMELE facis: nam pectore CALLES
Nempe DEUM, Qui Nos vivificare solet.
Numquid IO dicam? Dicamne? Quis improbet? immo
Quis non Hic imo pectore dicat Idem?

IX.

JUSTUS HAKIUS

Ecclesiæ Collegiat. S. ANSCHARI quæ in Urbe BREMA est, Canonicus;

&

REV. S. CELSIT. Scriba Cameralis, &c.

ANAGRAMMA.

SIS CAVTUS VI.

EPIGRAMMA.

INdicat in Scenâ Nostros Comoedia Mores,
Poscit & in Nobis fabula cauta locum.
Tu quoque SIS CAVTUS VI, JUSTE; Occasio poscit,
Moribus ut morem Temporibusque geras.
Ergo his Temporibus Scenæ servire memento
Cui servis. Mihi dic; Quis sine fraude fuit?
Laudabat niveas Corvi Vulpecula pennas;
Tu quoque sit Vulpes dum Tua res agitur.

X.

RODOLPHVS SCHLI-CKIUS

REV. S. CELS. Scriba Cameralis.

(CS in X.)

ANAGRAMMA.

POLLUX; DISCO CURIS.

EPIGRAMMA.

LECTORI.

SI quod inest Nostris, quod nescio, forte Libellis,
Quod Tibi Lectori displicuisse queat;
Da veniam facilis, Meque excusare memento;
POLLUX non scripsit Carmina, scripsit homo,
Qui multis curis oppressus nempe; RODOLPHE
Sic DISCO CURIS. Cordolium alterum adest
Quod Mihi conciliant qui nescio; sed scio quod sint
Quosce Pharisæos jure vocare queam.

DECADIS QVINTÆ FINIS,

LECTO-

LECTORI MEO.

HActenus, MI LECTOR, REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS NOSTRI ut & *Prælatorum* Hujus *Diecoeseos*, ac Præcipuorum è Summo Capitulo quorundam, post *Aulicorum* & *Præfectorum* aliquot, Ejusdem *Nostri Principis*, Nomina *ἀναγραμματικῶς* exhibuimus, & Anagrammatum sensum Epigrammatismis explanavimus, porrò Inclytæ Urbis BREMÆ, Patriæ Nostræ, Patrum Magnificorum Nomina simili modo transposituri. Alius colore, cerâ, ære, lapide absentium ac posterorum oculos ambiat; Nos nudo bonoque Nomine Famæ Hos commendabimus, Quos ipsum Virtutis studium in Rempublicam, Doctrinæ in Justitiam, Humanitatis in Musas Æterno Nominis præconio Posteritati superesse voluit. Transeamus ad extremas Antiquitatis lineas, & Memoriam Magnorum Virorum lustremus; numquid tantam Virtutem sola Nomina sustinent? Post Alexandrum Magnum quis æri, colori, cælamini fidat? ecce, vetustate & Lysippi æra, & Apellis colores, & Pyrgotelis cælamina consumpta, quibus Formam suam superbissimus Regum Æternitati consecrârat. Nunc verò novit Alexandrum qui audit. Etenim quod Deo Numen, id Homini quodammodo Nomen. Sine Numine Deus non est; sine Nomine Homo non est; ut non immerito Plinius *Atlantes degeneres humani ritus* vocet *ritus; namque Nominum ullorum inter eos appellatio*. Itaque Deum quendam dicas Hominem, si perennioris auræ particulam Nomine sortitus. Ringitur quis? sugillat? Ego Cujusque Nomen Populo Anagrammate transpono, & Epigrammate interpretor, quod insolens aut peregrinum multis. Dolendum sanè, humanæ gentis vitium esse Ætate

Lib. V. c. viii.

Anti-

quos admirari Lucullos, Decios, Cicerones, Labeones, Lælios, Catones, Scipiones, aliaque Nomina alieno sæculo quærere, quod insignes quidem plærique è Priscis fuerint, qui Nomina sibi ab Animo, Corpore, aut Fortunâ induerunt; sed & hoc sæculo multi Catones, Lælij, Valerij, Scipiones, Quos sive Historiæ silentium, sive tabescentis sæculi invidia è memoriâ excludit. vulgus enim somno & vitijs suis mersum, ut privatam inertiam sæculo imprimat; tam vicinam Virtutis lucem, quam recto oculo sustinere nequit, pravo judicio conatur extingvere. Sed si qui MELIORIS MENTIS veterno hoc excusso ad magna sese erexerint, inter Antiquos censeri potetunt. Nostrum sanè sæculum, si Animum spectes, ab eodem Coelo ducitur; Corpus iisdem Elementis compingitur, alitur, vegetatur; si utrumque, iisdem Astris nascitur, & ad eandem Virtutem atque Famā. Romanis Antiquorum Græcorum Nomina magni erant; Græcis alij. Nobis isti omnes sunt, & aliis mox erimus, si Nominis Virtutisque Memoriam Famæ inseremus & Chartis. Inter hos erunt præsenti memoriâ Hi Illi *Patriæ Patres, Excelsi Animi & Consilij Viri, Egregia Urbis Patriæ Decora*, Qui exemplis monstrârunt quantum Animus in rebus humanis possit. Tu interim, quisquis es, Conatus Meos (si merui modò) eâ animi benignitate complectere quâ offeruntur; VALE, MI LECTOR; VALE.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Mediciac Philoſophi

ANAGRAMMATUM
DECAS SEXTA.

Caſsiodorus Lib. 2. Epiſt.

Ubique cognoſcitur Quisquis Famâ teſte lavdatur: Dum enim copia plurimum ſolet habere faſtidium, Bonum Nomen repetitum ſemper efficitur glorioſum.

ADLOQVUTIO
ad
AMPLISSIMUM, CONSULTISSIMUM, ET PRUDENTISSIMUM
SENATUM
BREMENSEM.

AMPLISSIMI CONSULES,
CONSULTISSIMI SYNDICI,
PRUDENTISSIMI SENATORES;
AD VESTRAM ARAM
CUM MUNERE ET VOTO VENIO:
ILLUD VOBIS DO, UT OMNIBUS DEM;
HOC MIHI CONCEPI QVOD QVISQVE SIBI:
EST AVTEM SCRIPTUM QVOD DO;
VOTUM IPSUM QVOD CONCEPI
NOMINIS VESTRI IMMORTALITAS:
HANC OMNIBUS VOBIS OPTO;
HOC SCRIPTO CONSIGNO
QVOD SUB TUTELA VESTRI NOMINIS,
QVI ESTIS
BONIS PRÆSIDIO,
CUNCTIS DELICIO,
VIRTUTI, DOCTRINÆ, ET HUMANITATI EXEMPLO;
ET
URBI VESTRÆ TUTAMENTO,
D. D. D.
V. E. A.
Johannes Neander, &c.

AVCTO-

AUCTORITATE GRAVISSIMIS, DIGNItate Splendidissimis, Doctrinâ rerumque usu Prudentißimis

D. CONSULIBUS, SYNDICIS, & SENATORIBUS

Inclutæ Reipublicæ BREMENSIS,

Quorum Anagrammata in Sextâ Hac Decade leguntur

JOHANNES NEANDER

Medicus ac Philosophus

S. D.

VIRI GRAVISSIMI, SPLENDIDISS: PRUDENTISS:

SExtam Hanc Anagrammatum Decadem Vobis LUBENS MERITO sisto; Vobis, inquam, Patronis; Vestroque Nomini Imperioque submitto. Anagrammata quidem singula ad Singulos eunt; sed ivisse non satis erat, nisi in Commune Nominis, sive Numinis Auspicium Omnes coirent: Nominis, inquam, sive Numinis Vestri, Qui dum Publica Patriæ gubernacula sustinetis, Alium Prudentia & Doctrina; Alium Justitia & Clementia; Alium Alia Virtus irradiat; Quæ & Me stupefactum tenent; nec stupefactum modò, sed obstrictum. Vos Illi, Qui dum in amplissimo Honoris gradu Eminentissimi estis, Doctrinæ tamen Prudentiæque fructum in Virtute ponitis; Docti per Virtutem, per Doctrinam Boni. Nonne è Vestro Collegarumq; Vestrum numero Quidam sunt in Studiis tanti, ut nobiliores sint proprio Ingenio quum Latoclavo? in Virtutibus tanti, ut Ingenium superent? & dum Doctrinam sine Virtute non agnoscunt, Virtutem Doctrinâ exerceant? Qui recte malunt agere,

quàm ſcire, Reipubl. cauſſa: ſcire etiam, quam ſciri Modeſtiæ ſuæ cauſſa? Sic interim dum in illo Dignitatis culmine omnibus magni ſunt, ſibi ipſis parvi, & tamen magni, quod dici recuſent. Celebrabuntur itaque à Me dum præconia fugiunt, & locum Honori facient, dum Honore Modeſtiam exonerant. Vos ne Illi, Qui Florentisſimam Rempublicam Veſtram, Qui Religionē, Qui inclutum Lyceum Veſtrum ad Famæ ferme apicem evexiſtis, dum felix inter Vos promovendarū Literarum æmulatio ſine contentione laudabilis, ſine invidiâ fertilis, quæ naſcitur inter plures; fervet inter plures? Ut de me dicam; Vos patrociniū Meæ Muſæ ſuſcipientes Patronos Vos eſtis profeſſi. Loquitur inſignis Scyphus duarū librarū pondere egregiè inauratus, quo à Vobis ante novenniū ſum donatus, licet interim infelix pæne omnis conatus meus & labor fuerit, & in pravâ ſorte meâ infelix quoq; invidia malorū, quod ſolâ Virtute torqueatur. Dedi in Urbe Veſtrâ Conſtantiæ Exempla ultra novennium; & licet ſupra Ingenium meum omnes interim ſibili & ſuſurri fuerint; infra Adfectum tamen habui. Quid reliquum? Nil, niſi ut per Vos PP. æqualis bonorum paternorum inter me fratremque meum partitio inſtituatur; Faciet Ille Qui ſupra nos vult! Facietis & Vos PP. ac benignam hanc Mihi operam dabitis; & ſic Tutores famæ meæ eritis; immo Mei. Itâ vivam omni invidiâ, omni fortunâ major. Vos interim vivere, feliciterque Rem Publicam ac Literariam gerere voveo: Immo, quum vivere deſiiſtis, tamen vivere; ut ſi vigeatis, Prudentiæ Veſtræ fructum; ſi ultrà vivatis, Præſentiæ felicitatem ſentiamus. BREMÆ &c.

JOHAN-

I.

JOHANNES SCHLICHTINGIUS

Urbis Patriæ Consul Senior, & p. t. Præsidens, &c.

ANAGRAMMA.

ACTU CONSILIIS INGENS.

EPIGRAMMA.

DUm Te Cor sapiens, Gravitas, & gratia Vultus
Eximit è populo, conspicuumque facit
SCHLICHTINGI, Pietas curæ est Tibi; Gratia Clemens
Curæ est; & curæ lex quoque Justitiæ:
ACTU CONSILIIS INGENS Ratione gubernas
Nos; Dum longo usu Civica Jura tenes,
Ecquid adest Virtus? Ex omni parte probandus
Qui Virtute regit Præside Consul: Hic es.

JOHANNES HERDE

Urbis Patriæ Consul
&
p.t. Presidentis Adsessor,
&c.

ANAGRAMMA.

IN DEON' HÆRES?

EPIGRAMMA.

SAncta Themis, Candor, Pietas, Heroica Virtus
In Te dum sedem constituere; Pie
Vivisn' INque DEON' HÆRES HERDENE?
Quis illud
Ambigit? Hinc Populus vult PATRIÆne
PATREM?
Ardua res carum esse simulque DEO Populoque:
Sed vehit ipse DEUS Te, Populique favor.
Te vehat ergo DEUS; Populus vehat; inque futuro
Tempore Te tellus laude, Polusque vehat.

JOHAN-

III.

JOHANNES HAVEMAN

Urbis Patriæ Consul,

Ecclesiarum & Inclyti Gymnasij BREM: Ephorus &c.

ANAGRAMMA.

ANNE MENS A JOVA?

EPIGRAMMA.

AVrum, Arvumque, & Honor, Fortunæ sunt bona fortis,
Quicquid & humano pendet ab arbitrio.
Forma, Valetudo, Vires, bona Corporis ullo
Non possunt precio, non bona Mentis emi.
Coelitus orta est Mens hæc, non ex traduce; nam si
Corpore cum reliquo Mens oritur, moritur.
ANNE HAVEMANNE JOVA MENS est? Mens Numine Divum
Ducit ab ingenito non-generata genus.

IV.

EBERHARDUS DOETZENIUS

IURIUM DOCTOR,
Urbis Patriæ Consul;
&
Nobilium Dioecesis BREMENSIS Consiliarius, ac Thesaurarius &c,
(z in SS.)

ANAGRAMMA.

DEUS BONIS RE ADEST: RUES?

EPIGRAMMA.

DIvinum Ingenium! Qui tot fers pondera rerum
DOTZENI, num Tu jure secundus Atlas?
Immo es Atlas primo Tu major Atlante Secundus;
Corporis ille valet robore, Tu Cerebri.
Dum quoque præpolles Ænigmata pandere Juris,
Ecquis Justiciæ Te neget esse basin?
Esne basis? Basis es. Quotnam Tibi comparo? Paucos.
Ergo RUES ne? BONIS RE DEUS ecquid ADEST?

JOHAN-

JOHANNES PREISWERCKIUS
Juris Utriusque Doctor;
&
Inclutæ Urbis BREMÆ Syndicus,
&c.

ANAGRAMMA.

EN, HUC VIR; I; PACI NOS SERVES.

EPIGRAMMA.

Ingenium Natura domi Tibi provida mater
PREISWERCKI ne dedit? resne? locusne dedit?
Hincce ad LIPSENSEM Conventum Tu Legatus
Urbis BREMENSIS, quando aliquando redis?
I, HUC VIR; PACI NOS SERVES: Sensimus ignem
EN! Quando in Patriam prospera vota vehent?
Namq; salute Tuâ Nostra Urbs sibi nempe salutē
Et vitam è reditu spondet habetque Tuo,

DAVID GROENAVIUS

Juris Utriusque Doctor;
&
Incluta Urbis BREMÆ Syndicus,
&c.

ANAGRAMMA.

RADIUS; NOVI: GAUDE.

EPIGRAMMA.

CUra DEI, Virtutis apex, Amethyste Virorum
GROENAVI, magnaes Dexteritatis opus,
Dum Patriæ portas magnarum pondera rerum,
Auxilioque Illi Consilioque praes,
Es RADIUS; NOVI: Tu GAUDE: Audire recusas?
Plura loquar: Nullum Laus Tua littus habet.
Ut Nobis Fortuna dedit succurrere poßis;
Utque velis, Virtus fecit, & Ingenium.

VII.

CHRISTIANUS SCHNEDERMANNUS
Urbis Patriæ Senator Senior; &c.

ANAGRAMMA.

ET DECUS MANENS ANNIS CURRIS.

EPIGRAMMA.

TEmporis ut minimi momentum crescit in Horam,
Et brevis in longam ducitur hora Diem;
Multiplicata dies in Mensem; Mensis in Annum;
Sic crescente Tuus tempore crescit Honos
SCHNEDERMANNE, MANENS DECUS ANNIS: ET bene CURRIS
Corde Animoque pio? Pectore dico meo:
Ampliat Ætatis spacium sibi Vir Bonus. Hoc est
Vivere bis, Vitâ posse priore frui.

VIII.

JOHANNES ALMERUS,

Urbis Patriæ Senator
Senior; &c.

ANAGRAMMA.

MIRE VALES ANNOS.

EPIGRAMMA.

HÆc ALMERE Tibi quamvis Epigrammata scribam,
Scripta legant aliï; sint modò digna legi:
Tu saltem vivas ANNOS; prodesse Saluti
Et pergas MIRE.en! Dexteritate VALES,
Quæ Te Felicemque facit magnoque decore
Dignum, & Cui Emerito pulchra Corona datur.
Non Quercus Te sola decet, nec Laurea Phoebi;
*Fiet & ex Hederâ pulchra * Corona Tibi.*

* De Coronis consulatur Plinius.

IX.

HARMANNUS HEMELINGIUS

Urbis Patriæ Senator Senior; &c.

ANAGRAMMA

EN, GENS NUM MALA JURIS?

EPIGRAMMA.

IUrisconsultorum. EN, Quis status? An malus Ille
Quæritur; ut licito Queis aliena lucro
Sint damna HEMLINGI! GENS NUM MALA JURIS? Et in quo?
Quæritur. At quum sit mentio facta rei,
Dicimus: Hic Quirite sapit servire memento
Temporibus cunctis; remque Clientis agat,
Semper ut in Dictis Constantia sit, & in Actis:
Quippe Manus simplex sit, neque Lingua duplex.

DETH.

X.

DETHMAERUS SUERBICCIUS

Urbis Patriæ Senator Senior, &c.

ANAGRAMMA.

BIS TECUM DURAS: VIRESCE.

EPIGRAMMA.

EX humili licet ortus Homo tellure, tumescit;
Sit licet ex nihilo nata tumescit Humus.
Est Homo sicut Humus; supra se tollitur ipsum:
Monte superbit Humus; Mente superbit Homo.
Hæc meditans SURBICCI ideo non tollere; sed BIS
Tu TECUM DURAS: Arbiter æquus ovas.
Vis fieri felix. VIRESCE, augesce, senesce
Mente, Bonis, Annis, Corpore; Sanus eris.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philosophi

ANAGRAMMATUM

DECAS SEPTIMA.

Valerius Maximus lib. 4.
cap. 3.

Dandi et accipiendi beneficij commercium, ſine quo vix vita hominum conſtat, perdit & tollit; quisquis bene merito parem referre gratiam negligit.

PRUDENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, & Amplißimis D. SENATORIBUS Inclutæ Reipubl. BREMENSIS Quorum Anagrammatiſmos Septima Hæc Decas exhibet

JOHANNES NEANDER

Medicus ac Philoſophus S. D.

PRUDENTISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI; Septimam, Quam videtis Anagrammatum Decadem, eadem pæne horâ animo conceptam, eodemque ferme momento ſubitaneo calamo natam, dum non tumidé, ſed timidé quidem produco, noxiæ Mihi, neſcio quæ, auræ ſpirant, tabemque minantur â plagâ livente; & niſi fortaſſe caveam, diſcrimen in proclivi eſt, peritq; hic foetus haut aliter quàm extrema faba. Ego quî caveam? Spartani, ut & antiqui illi Germani, Infantem recens natum frigidæ immergebant, ut Naturæ viribus exploratis aut robuſtum, aut nullum haberent: Sic Ego repentinum Hunc Partum publicum eſſe cupio; ſed ſub Nominis Veſtri patrocinio; ut, ſi vim injuriamque Livoris ſuſtineat, vitalis ſit. Fiet quum Vos video ſic proclives Virtutis ſtudio in Rempublicam, Doctrinæ in Juſtitiam, Humanitatis in Muſam. Et dum Vos in alto illo rerum culmine conſtitutos colimus, clarisſimâ quaſi luce fulgentes; nonne coruſcum illum Radium debili, ſed laudabili hoc Conatu in Me reflecto & regero? In Illo Ego vivam; & ſic per Vos. Vivite; & ut Reſpublica ac Literæ vigeant, Annos plures feliciter tranſigite: Quod voveo. BREMÆ, &c.

I.

JOHANNES KOPKENIUS

Urbis Patriæ Senator

&

P. t. Satrapa in Bederkesâ,

&c.

ANAGRAMMA.

SI PECCO, ANNON JESU?

EPIGRAMMA.

TEntator meus ipse mei, deceptor & idem
Dum sum, re vera quæ mea nequitia est,
SI PECCO, ANNON hæc Tu cuncta piacula tollis
IESU? Non lavas quos maculavit Adam?
Odi Ego peccare, & solo hoc Virtutis amore;
In vitium faciles sed NICOLAE sumus:
Caussidicum in Coelis idcirco semper habemus
IESUM, Qui Coeli Sol, Animaque Salus.

NICOLAUS VON RHEDEN

Urbis Patriæ Senator,

Incluti Lycei Ephorus;

&

p. t. Gogravius In Holler, & Blocklande.

ANAGRAMMA.

IN DUCE HONORE LAVSN'!

EPIGRAMMA.

CUi Genus à Proavis ingens clarumque Paternum,
Inter honoratos est numerandus Avos:
Nam Genus, atque Honor, & Virtus, tumque utraque Pallas
Accumulant laudem, conciliantque DEO.
En IN HONORE DUCE est LAVS optima maxima; Numquid
RHEDENI? Hinc num Tu maximo Honore clues?
Maximo Honore clues. Tibi quid nunc porrò precemur?
Contingant Pylij secula multa senis

MATTHÆ-

III

MATTHÆUS CHYTRÆUS

J. U. Licentiatus,
Urbis Patriæ Senator
&
p. t. Camerarius &c.

ANAGRAMMA.

THEMIS ACUTA VERSAT.

EPIGRAMMA.

EXspectent curæque catenatique labores
Te quamvis, VERSAT singula ACU-
TA THEMIS;
Per Quam Tu fugies ingrata flumina Lethes,
Et meliore Tui parte superstes eris.
Insuper estne Tibi Veri respectus & Æqui?
Est. Quisne ab Themidis largius amne bibit?
Hinc Tu Dis Coeli carus [illegible]. Carus [illegible]ne CHY-
TRÆE?
Quis nescit? vel Quis tam manifesta neget?

HERMANNUS BOEKEL-MANNUS

Urbis Patriæ Senator, Senior, &c,

(A in E).

ANAGRAMMA.

HEM BREMA! NONNE CLUES?

EPIGRAMMA.

NOn est in BREMA DEUS Hac? Hac Urbs & in illo est?
Hac & in Urbe sumus? Num sumus ergo DEI?
Nos sumus ergo DEI. rerum petit Ille Tuarum
Iure sibi Decimas Primitiasque DEUS
O BREMA! HEM Tu NONNE CLUES? Te cymba gubernat
Ipsa DEI. Coelos hac penetrare Tuum
BOKELMANNE Fide ad Dominum. Duce fidere fido.
Ad Christum ducet Me mea cymba Fides.

ARNOL-

V.

ARNOLDUS A BOBERT

Juris Utriusque Doctor;
&
Urbis Patriæ Advocatus;
Senator
&
Sigilli custos, &c.

ANAGRAMMA.

LABOR SUDOR BEANT.

EPIGRAMMA.

Vitam sic texit Natura ut aranea telam;
Longus & in lapsum pronus uterq; Labor.
Sed Quem delectant Æternæ præmia Vitæ,
Magna Quidem, non Hunc terreat ergo Labor.
Tu BOBERT scis quid SUDOR valeat, LABOR & quid;
Nempe BEANT; Felix nec minor iste Labor.
Mandere Qui Panem jubet in sudore diurnum,
Non dabit Æternas absque Labore Dapes.

VI.

GOTHEFRIDUS WEN-CKEUS

Urbis Patriæ Senator,

&

Sigilli custos, &c.

ANAGRAMMA.

DISCUTE, SURGE, FOVE HUNC.

EPIGRAMMA.

NAtura obscuram lucem, ceu Luna, ministrat:
Sol quasi splendidius Numine Lumen habet:
Discutit, atque Fovet; radiis illuminat Orbem;
Sis GOTHEFRIDE mihi Sol precor Anne vides
Quæ Me circumstent? nebulis offunditur äer;
DISCUTE, SURGE, FOVE Quem petit Invidia
HUNCce FOVE, Dudum nosti mea nempe cupita:
Non volo quod cruciat: nec volo quod satiet.

VII.

HERMANNUS SCHOEN

Urbis Patriæ Senator, &c.

ANAGRAMMA.

RES MONENS ACUE.

EPIGRAMMA.

VT Moneas, Acuas, Tibi Sarcina Publica quondam
Est HERMANNE data. Has res age: nempe Mone;
RESque MONENS ACUE: Et Tua sunt hæc Munia. Ad hocce
Te quoque delegit Magnus in Urbe DEUS.
Scilicet Utilitas, & Amor, durumque Necesse
Sic vitando vetant; sic faciendo jubent.
Tu rege, Justitiamque voca: ne cede; sed insta.
Scis quantum rigidi crimina juris habent.

VIII.

LUDOVICUS SNELLIUS

Urbis Patriæ Senator

&

P. t. Satrapa in Bederkesa,

&c.

ANAGRAMMA.

SUDUS VILESCO NULLI.

EPIGRAMMA.

NOminis Hoc Anagramma Tui de Te puto verum;
Est Tibi conveniens, Ingeniumque tulit.
Si taceant Homines Anagrammata nempe loquentur
VILESCO NULLI. Tu Mihi SUDUS eris
SNELLI; nam præsens verum est Anagramma. Quid obstet
Quin Te jure bono Candidus omnis amet?
Rem pulchram tractas: Vires Tibi Numinis addat
Gratia: at en, Vires Gratia Dia dedit.

ALBER-

IX.

ALBERTUS GAARBADIUS

Urbis Patriæ Senator;

&

p. t. Satrapa in Blumenthall/

&c.

ANAGRAMMA.

ABS LABE GRATUS RADIA.

EPIGRAMMA.

Vis Legis prohibere malum est. Permittere Honestum
GARBADI dum vis es sine Labe prius.
Quum fueris Censor primum Te crimine purgans
ABSque LABE (en!) GRATUS debito Honore cluis:
Hinc RADIA. Dirimis lites, tollisque futura
Iurgia, Justiciâ conciliante decus.
Justicia est perfectus Amor, perfectaqu Virtus:
Hæc quæ divitiis anteferenda manet.

HERMAN-

X.

HERMANNUS WACHT-MANNUS

Urbis Patriæ Senator,

&

p. t. Gogravius In Nedervihlande

&c.

Anagramma.

AH! SANE NUNC SUMMA RUUNT.

EPIGRAMMA.

CUr non accusem mores & tempora, culpam
Moribus adscribens temporibusque? Vide,
Non in temporibus vitium est, & moribus; Ecquid
Nos vitiamur in his temporibus stolidis?
AH! SANE NUNC SUMMA RUUNT
WACHTMANNE: malignum
Se meminit puerum vir, juvenemque senex.
Natio si Nobis fuerit quoque postera pejor,
Pejus erit Nostrâ Posteritate nihil.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM
DECAS OCTAVA.

Caſsiodorus Lib. 1. Epiſt.

Regnantis facultas tunc fit ditior, quum remittit, & acquirit Theſauros Famæ, neglectâ utilitate pecuniæ.

PRUDEN-

PRUDENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, & Amplissimis D. SENATORIBUS Inclutæ Reipubl. BREMENSIS Quorum Anagrammata Octava Hæc Decas complectitur.

JOHANNES NEANDER

Medicus ac Philosophus

S. P.

PRUDENTISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI, Quod Voce aliâs soleo, nunc Scripto aput Vos promo, Magna Vos Lumina Urbis Vestræ esse. Vos enim Illi, Qui priscam illam BONÆ MENTIS, Bonæque Themidis imaginem inter paucos expressam Moribus geritis, Literis plerique & Legibus clari; in Me singulari quodam Adfectu proni. Sine fastu aut supercilio Literas habetis; sine fuco aut labyrintho Leges. Hinc signum aliquod dare conatus sum proni & properantis in cultum Animi. Sed quid nisi conatus sum? Quod enim do, ad Genij mei imaginem expressam magis repræsento, quam do, utpote voti mei imaginē minimè æquans. Interim tamen operam sumsi, & quæ legitis Anagrammata Uniuscujusque Vestrum Nomini Dico, Consecro; dum è tenebris ad Famam; è Privato ad Publicum conscendere gestio. Certè splendens ille omnium Vestrum Favor Favorem Multorum excitabit. Itaque in hac Scenâ Famæ Auspicia Vobis debebo. Quid inquam, debebo? immo debere Me profiteor Novo Hoc scripto, quod ad Gratiam Vestram conservandam, immo augendam publicitus produco, BREMÆ &c.

NICOLA-

I.

NICOLAUS REGEN-STORPIUS

Juris Utriusque Doctor:
Urbis Patriæ Senator
ac
p. t. Judex;
Ecclesiarum Ephorus,
&
Gogravius In Overnwizlande / &c.

ANAGRAMMA.

IN PIGROS TU CERNE SALVOS.

EPIGRAMMA.

DUm Tua divino fervent præcordia thyrso
NICOLAE Egregium Qui Decus Aonidum,
Scilicet ut Patriæ possis prodesse Saluti,
(Cujus ut Officiis distineare) Vides
INque PIGROS Cernis Tu SALVOS, Optime Judex
CERNE at: Justicia est res bona, semper erit.
Hev quanta in terris regnat fallacia! At unde?
Cur? Quia multimodis sunt Bona mixta malis.

HERMAN.

II.

HERMANNUS ESICHIUS

Urbis Patriæ Senator

&

p. t. Camerarius, &c.

ANAGRAMMA.

VIR ES NUMINE; SECAS.

EPIGRAMMA.

DEficit hunc Ratio recta; illum Mens Bona; Nũquid
Cernere dum non vult Ille, nec Iste sapit?
Pessima quæ mala sunt mala quæ mediocria fiunt,
Et vel ad extremum Nos comitantur iter.
Post varios casus, post mille pericula VIR ES
NUMINE dum mala quæ, jurgia dira, SECAS
ESICHI, Candore, Bonos Bonitate; Patronus
Auxilius Patriam Consiliisque juva.

DANIEL

III.

DANIEL HUYSMANNUS

Urbis Patriæ Senator,
&
p. t. Camerarius, &c.

ANAGRAMMA.

EN! IN DEI MANU SALUS.

EPIGRAMMA.

ERranti, Pereunti, Ægro, Via, Vita, Salusque
Mors Mortis CHRISTUS; sit licet illa salus
Paucorum: Est vitium; tamen est nil carius illo;
Hanc sed qui sitiens arripit, Ille sapit.
Hæcce MANU est INclusa DEI, quam Mens prope Nostra
Non capit: est illic Sol. Animaque SALUS
HUYSMANNE. Anne Salus parta hæc per vulnera CHRISTI
Qui curat Plagis vulnera Nostra Suis?

JOHAN-

IV.

JOHANNES SCHUTTE

Urbis Patriæ Senator,

&

Sigilli custos, &c.

ANAGRAMMA.

HOCN'; JUSTA TENES?

EPIGRAMMA.

A Teneris idem tenor, & constantia Vitæ
Quæ fuit, est eadem; Frons Tibi, Mens eadem
SCHUTTENI. Populo Tua spectatissima Virtus
Cur non commendet? Cur? Quoque Posteritas
Noverit HOCN': En, JUSTA TENES? Prudentia nempe
Te regit; Ingenij nec sterilescit ager.
A Senibus Prisci quamvis dixere Senatum
Cur quoque non Juvenum dulcis ab ore liquor?

HINRI-

V.

HINRICUS VAN ASKEN

Urbis Patriæ Senator,
&
p. t. Satrapa in Blumenthal / &c.

ANAGRAMMA.

HUC VIR SCIENS; ANNA.

EPIGRAMMA.

IUdice Me, Soli ſemperque perinde Beati
Sunt, Quicunque ſciant Omnia, Quique Nihil.
Tu VIR, esne SCIENS ASKENI? Es. Nempe mereris;
HUC ANNA; nam non Mens Tua mente caret.
Es Verus, Prudens; Quid ſit Prudentia noſti,
Quæ non mortales reddere ſola poteſt.
Nempe Bonum in vitâ quid ſit Prudentia monſtrat:
Hac itidem Verum quid ſit in Orbe docet.

VI.

BERNHARDUS GREVÆUS

Juris Utriusqve Doctor;
Reipubl. BREM; Senator,
&
p.t. Gogravius in Werderlande/
&c.

ANAGRAMMA.

RE VERA BEANDUS SURG?

EPIGRAMMA.

TE veneror qvoties animo contemplor, & istas
Ingenij Dotes explico lance Tui
BERNHARDE. An celsæ Virtutis adorea clarat
Te? vehit & puræ Relligionis amor?
Dum clarat VERA RE SURGAS Tute: BEANDUS
Namqve es Doctrinæ Præstes & Artis Honos.
Vive diu GREVÆE; Meus perge esse Patronus;
O digne Æterno Carmine! Digne Cedro!

LIBUO-

VII.

LIBUORIUS VON LINE

Urbis Patriæ Senator.

ANAGRAMMA.

VIR BONUS, VILE NOLI.

EPIGRAMMA.

ERgo adeo eximios præ Aliis Tuſcandis Honores,
Et clarum latè Nomen habere paras
LIBORI? Mihi dic, Quanam Tibi Agonia? Quanam
Hac Stimula attulerit, Perficaque auxilium?
Fallor, an Ipſa Charis? BONUS es VIR: Dexter Apollo
LIBORI Nomen tollet ad Aſtra Tuum.
Ergo VILE Tibi NOLI: Radiantibus Aſtris
Succedes quotquot vertice torquet Atlas.

VIII.

CONRADVS EDEN
Urbis Patriæ Senator.

ANAGRAMMA.

EN DECORANDUS.

EPIGRAMMA.

DOctus es, & Facilis tamen, Humanusqve vocaris;
Moribus es ſvavis; ſvavis & Eloquio.
Doctus es, atqve faves Doctis; hinc jure mereris
Perpetuum Phœbo conciliante Decus.
CONRADE: EN, Decus es; Virtute es Tu DECORANDUS
Æterna. major num Tibi conſtat Honor?
Conſtat Honor. Fortuna Tua comes utilis hæret
Virtuti, & fati ſpe melioris ovat.

VASMAH.

IX.

VASMAHRUS BAKENIUS

Urbis Patriæ Senator,
&
p. t. Camerarius &c.

ANAGRAMMA.

ES BRACHIUM, USU, SANA.

EPIGRAMMA.

FRangere Te nullo potuit conamine nisus
Improbior; nam Te candida cuncta trahunt.
BRACHIUM ES Arte valens; Rerum experientia longo
USU Te docuit: Judicioque Meo
Judicio, Ingenio polles: potes omnia: SANA:
Si facere hoc audes, Fortis habendus eris
BAKENI. Dico; quæ vis potes omnia; Tenta:
Is Tibi posse dabit, Qui Tibi velle dedit.

X.

ALARDVS BOENINGIUS

Urbis Patriæ Senator.

ANAGRAMMA.

GLORIA, NISU BEANDUS.

EPIGRAMMA.

QUæ caruit vitiis dulcis solet esse Juventus;
Hæc Tibi sed dulcis, non vitiosa fuit
BOENINGI. Idcirco non debita præmia fallent;
Pro meritis dignis præmia digna feres.
Perpetuo NISU studeas Hæc quippe parare;
Quo Labor est major GLORIA major erit:
Quæ jucunda Tibi qvum sit, sine labe BEANDUS
In Cœlo Æternas conciliabis Opes.

DECADIS OCTAVÆ FINIS.

SALVE

SALVE LECTOR.

POst publicæ luci data ex Amplissimorum ac Prudentissimorum Consulum, Syndicorum, ac Senatorum Nominibus eruta Anagrammata, transeo ad Illorum Adjutores; Administros; Eos dico, qvi publicè Magistratui exhibent in functione publicâ sui usum, simulqve aliqvam qvasi ejus partem tangunt: & hoc Mei qvidem subfragii judiciiqve censurâ, Qui Viros Famâ dignos non ocioso supercilio inspicio ac noto; sed ita ut producam & commendem Famæ ac Posteritati: Integros enim ac incorruptos Ævo repræsento, pravos premo avt insector. Horum plures reperio; Illorum qvoqve non pavcos in florenti hoc Ævi campo. Inter flores avtem fragrante Honestatis, Integritatis, ac Doctrinæ avrâ, Flores & Hi, Qui in Nonâ hac Decade seqvuntur Viri ad Fidem, sedulitatem, & salutem Patriæ facti. Ut qvi ignem à vicinis petunt, non illic hærent, sed ablato eo domi focum suum accendunt: sic capiunt Hi Viri à cottidiano exercitio igniculos illos Prudentiæ, & ad usum actionemqve Civilem transferunt. His in publicum dotibus provecti lavdabilem operam Manu Ingenioqve navant, officioqve suo cum lavde funguntur, ut non minus Integritate qvàm Industriâ majorem interdum Dignitatis gradum promereantur. Etenim Viri Boni, vitiisqve popularibus defæcati pavci sunt; ideoqve fovendi etiam & extollendi. Stilo facio: in publicum enim Horum

Nomina producere, ut publicè mens & voluntas Mihi est; ita cum lavde Hos producturus sum, & omnibus Bonis repræsentaturus; etsi omnino effectum non conseqvar; qvod *omnibus bonis in rebus*, ut Apulejus scriptum reliquit, *conatus in lavde, effectus in casu est: ità ut contra in maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, vendicantur; cruenta mente purâ manu. Ergo sicut ad pœnam sufficit meditari punienda; sic & ad lavdem satis est conari prædicanda.* Vos, qvi utriusqve arbitri lectione facti estis, decernite, Conatum meum duntaxat, an Effectum qvoqve lavdandum censeatis: in iis avtem, qvæ porrò scripturus sum, an præter Conatum Effectum qvoqve sperare debeam. Cæterùm superest hoc qvod moneam. Bigam in Decadis Hujus frontispicio vides Senatoriam. Horum prior D. COSTERUS SCHNEEDERMANNO Viro non minus accurato hactenus qvàm diligenti in functione sua, anteqvam illam ob senii nimietatem deponeret, & jam Senator qvasi emeritus vivit, suffectus est. Alter D. GARBADIO nuper ad loca beata translato successit. Itaqve Magistratus jam obeunt munus functione congruum. Viri Bonorum omnium votis huic potissimùm officio destinati. Nolui itaqve Nomina Virorum omnibus ornamentis dignissimorum reticere; sed voce stiloqve Meo, subfragioqve Bonorum omnium ad suum locum referre, Virisqve Optimis Munus gratulari, qvod Fide, Integritate, Industriâ, Sedulitate, universo Urbis consensu merentur. SALVE iterum LECTOR.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philosophi

ANAGRAMMATUM
DECAS NONA.

Cicero ad Planc. Famil. l. 10.

Is verè Honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita Claris Viris defertur & datur: estque non invitamentum ad tempus, sed perpetuæ Virtutis præmium.

ERUDITIONE, PROSAPIA, OMNIUM-
qve Virtutum Lavde Spectabili Viro

DN. BETKENIO BETKENI

Bederkesanæ Arcis Præfecto
Vigilantissimo,
Amico meo.

JOHANNES NEANDER
S. D.

SPECTATISSIME ET INTEGERRIME PRÆFEcte; Philetas Cous, Monagrammus ille, qvum corpore tam macro esset, ut non tantùm impulsu ictus, sed etiam vehementiori vento concussus in terram daretur, plumbeis uti soleis solebat, ut consisteret: sic Ego, dum à molestiis pallorem & maciem ab adversariorum meorum in Me iniqvitate traho, Laborem Mihi & Scriptionem substerno, ne malevolorum & inimicorum meorum venenatâ avrâ adflatus in perniciem rapiar, ac concidam. Inter cætera Decadem Hanc Anagrammatum, qvam vides, Nonam inter molestissimas curas concepi, &, ut curis me interdum ac molestiis exuerem, dum cum fratre meo ob patrimonium Nobis relictum litigia forensia gero, scripsi. Hanc igitur ad subsellia Tua defero, qvia mereris ob dotes Morum, Doctrinæ, Candoris, Fidelitatis. Tu ille *in qvo veteris vestigia recti*
Et Mores video ductos meliore metallo.
Macte Spectatissime D. Præfecte, Qvi inter pavcissimos etiam es habendus, nî Te Famæ Tuipse subtraxeris. Tanti homines sumus, qvanti volumus si avra Ingenii favet. Expediendus modò à plebeiâ humilitate animus; ut per alta & immensa se dilatet Te interim Amicum scribo, & Votum meum ad DEUM OPT. MAX. transfero, ut Te huic Reipubl. & omnibus Tuis diu superstitem velit. Interim VIVE AC VALE, BREMÆ &c.

I.

THEODORUS COSTERUS

Urbis Patriæ Senator, &c.

ANAGRAMMA.

ES DECORUS TUTOR: OS.

EPIGRAMMA.

SI quicquid rerum charum est, preciumqve meretur,
Crede Mihi, Tutor res precioſa bonus
COSTERE. ES TUTOR ne Bonus, TUTOR ne DECORUS,
Atqve Os? Num factum res probat ipſa Tuum?
Sic: probat. An caſus ſapiens expendis? & omni
Quæſitâ ante morâ ſedulus eſſe ſoles?
Unum hoc est qvod Tu non obliviſceris unqvam;
Unum illud ſemper qvod meminiſſe ſoles.

OTTO SPECKHANIUS
Urbis Patriæ Senator.

ANAGRAMMA.
JUS TONA: SPECTO.
EPIGRAMMA.

QVI Rectum Ingenium, Mores qvi diligit Æqvos,
Qviqve Fidem Sanctâ cum Pietate colit,
SPECKHANI Nomen mecum colat. Esne Minervæ
Tu columen Themidisqve? Es, Columen Patriæ
Adsere, JUSqve TONA, dum SPECTO Civica Jura,
Ut videam memori qvàm fueris animo
Juris, tumqve Meæ caussæ. Sciat improba turba
Nosse DEUM, mica hac si Pietatis inest.

BETKE-

III.

BETKENIJUS BETKENII.

Bederkesanæ Arcis
Præfectus, &c.

ANAGRAMMA.

UNI, ECCE, TIBI BENE SIT.

EPIGRAMMA.

Civile Ingenium plus qvàm civile videtur
Esse Tuum: Plus, Me judice, cive sapis
BETKENI. Novi Genium, Moresqve fatentur
ECCE UNI Patriæ dulce levamen ades.
Inde TIBI BENE SIT. Reliqvos Nos protege semper
Alme DEUS, Patriam corrige; tolle luem.
Et Betkeniadem *conserva* Mente *JEHOVAH*
Constanti, *ac tenerum marte tuere gregem.*

IV.

TIMANNUS COC-CEUS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. à Secretis intimioribus.

ANAGRAMMA.

CUNCTOS MANU CIES.

EPIGRAMMA.

NOn solus semper Censor Cato; nec sibi solus
Justus Aristides his placeant titulis.
Tu Gravis, & Comis, cum Justiciaque remissus,
Austeris doctus jungere temperiem
COCCEI an nosti? Nosti: memorabere; dignus
Qui non sis positus posteriore loco:
Namque CIES CUNCTOS tranquillus: Sermo quietus
Est Tibi, Tu placidus non properante MANU.

DETHMARUS BARKEIUS
Inclutæ Reipubl. BREMENS. à Secretis, &c.

ANAGRAMMA.

ET REBUS MICAS: DURA.

EPIGRAMMA.

DUm Calamum tractas, Rebus præsentibus uti
Dum nosti, similis, qvisve secundus erit
Nempe Tibi BARKEIE? Decus sis jure vocandus
Qvis vetet? Æternum Tu Decus artis eris.
Qvis prohibet? REBUSne MICAS? Atqve Artibus inqvam:
DURA. Sis vera simplicitate Bonus.
Ille Deo similis cui simplex Gloria; namqve
Vera Boni & Docti Laus solet esse Viri.

PETRUS VELLERMANNUS.

Inclutæ Reipubl. BREMENS. à Secretis, &c.

ANAGRAMMA.

NULLUS MENTE PURA; RES,

EPIGRAMMA.

NIl injusticiâ misero est infestius Orbi;
PURA MENTE Quis est? Quis, nisi NULLUS erit?
RES perversa, ehev! Vigiles: Occasio poscit
VELLERMANNE, ut qvis limina Justitiæ
Servet: Nempe Tuis vigilas, dum Regula cunctis
Optima, dumqve omni tempore norma clues.
Anne? Loqvor vere: Virtus insignis! Amore
Dignaris dignos; Arbiter æqvus ovas!

ALBAR-

VII.

ALBERTUS BAKENIVS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. à Secretis, &c. (A in E.)

ANAGRAMMA.

ARTIBUS BENE CLUES.

EPIGRAMMA.

Ergo CLUES bellâ tanqvam Virtutis in arâ
ARTIBUS Ingenuis? Tu BENE semper agis
BAKENI. surgunt Charites Tibi, tumq; Camœnæ;
Te sileant qvamvis prætereantqve alij.
Ante fores stantem dubitas admittere Famam?
Tene piget curis præmia ferre Tuis?
Noli: Sed Nostræ per Te qvoqve vivere Musæ
Incipiant: Cineri Gloria sera venit.

VIII.

ARPOLDUS WENCKEIUS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. Publicorum vestigalium Actuarius.

ANAGRAMMA.

NUNC PIUS SUDORE CALE.

EPIGRAMMA.

DUm joca lætitiamq; colis, dum tristia damnas,
Nec metuis qvenqvam, nec metuenda facis:
Dum nullum insidus captas, nec lite lacessis,
Sed justam semper vitam agis, atqve teris,
Nullo felle Tibi Mens livida. Pectore toto,
Totâ Mente, Fide, Viribus, Ore colis,
Qvem WENCKEIE? DEUM. Sic perge: nec absqve senectæ
SUDORE. Æternum NUNC PIUS ergo CALE.

RABBÆ-

IX.

RABBIUS ELLERHORSTIUS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. Publicorum vestigalium Actuarius,

ANAGRAMMA.

ARBITER BELLUS OVAS: RES.

EPIGRAMMA.

DUm Tua cymba Tibi pacata per æqvora fertur,
Intenditqve Tuos avra secunda sinus,
ARBITER anne Tu OVAS BELLUS? RES mira. Qvid inqvam
ELLERHORSTE? Tibi noxia tela nocent?
Non culicis morsus Elephas, non vulnera curat
Ipse Leo: noceant tela vel ipsa. Nota:
Excelsos animos levis havt injuria turbat:
Sic Te num tangunt verba proterva? Parùm.

X,

HENRICUS CLOUCKISTIUS

Inclutæ Reipubl. BREMENSIS Libripens, &c.

ANAGRAMMA.

HUC, CUNCTIS LOCIS VIRES.

EPIGRAMMA.

Vis de Te CLOUCKIST dicam qvod sentio? CUNCTIS
Anne LOCIS, famâ sic referente, VIRES?
Es sapiens: Nomen Tibi dat Sapientia: Numqvid?
Sic reor. An potius Dives es? Ære vales?
HUC Sapiens, Dives Tu. Nonne vocaris ab istis?
Qvid loqvar? Egregiè qvadrat utrumqve Tibi.
Divitias alius donet Tibi, qvum Sapiens sis:
Sic Ego qvod volitet Nomen in orbe dabo.

DECADIS NONÆ FINIS.

INter præcipui Honoris titulos publicũ Militiæ munus antiqvitus fuisse memoriæ & monumenta veterum liqvidò testantur : sed nunc pæne ad incitas ire cum maximo militaris Virtutis detrimento experimur. Eò enim morum vitio & seculi ventum, ut indignum pœne ingenuo homine videatur Martis cultum, & armorum disciplinam profiteri, Qvæ infelicitas, sic enim adpellanda est, hoc cumprimis seculũ nostrum (cogor dicere) premit, dum hodiernam militiam tristi oculo intuemur, pudendam lugendamqve nobis ; hosti ridendam & spernendam. Qvi enim milites nostri? servili vitio plerumqve feroces; bellorum insolentes; hospitibus tantùm metuendi: verè galeati lepores, qvibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaqve urenda, & capienda pecora aliqva vis inest : ità in acie, signis collatis, ferme nulla est. tum, si qvi melioris notæ immixti, facile abripiuntur, & velut abducuntur à reliqvâ illâ fæce : unde non mirum, si Militis nunc nomen in contemptu pæne nobis sit; illud olim lavdatum, immo sacrum. Dum igitur Mars ipse asylum improbis aperuit, ad Virtutem & Militarem Disciplinam reflectendi hi tales sunt (nam omnes absit ut culpem,) & magno qvidem cum fructu: *paucos enim viros fortes Natura procreat; bonâ institutione plures reddidit industria.* Hoc avtem exercitio fit, ut electus miles adsiduè ad Arma condocefiat, & ad opus, Sic antiqvi illi tyrones

Veget. lib. III c. xxvI

 Marti nomen daturi, ſuos Campiductores habuerunt. ſic Centurioni miles, Centurio Tribuno obſeqvebatur. ità illis arma & animus: Iſtis Conſilium & Virtutis ſuæ regimen relinqvebatur. Hi milites exercebant, curâ, proviſu perinde agebant, ac ſi hoſtis ingrueret. Qvare Ampliſſimus & Prudentiſſimus Urbis Noſtræ Magiſtratus Sagatos qvoqve ac Paludatos Ductores ac Tribunos ſibi comparavit, qvorum ope gregarius hic miles exercetur, inſtruitur, & caſtigatur: nam etſi *neſcio qvo pacto adſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram, ideo coërcendi ſunt aliqvatenus & aſtringēdi*. A qvibus? à Ducibus; â Tribunis *ſine qvibus militaris turba corpus eſt ſine ſpiritu*; Qvi ſuos milites dignos Marte & famâ formant; Qvorum ex numero qvum & Hi illi ipſi ſint, qvorū Nomina & Anagrammatiſmos Decas hæc Decima proponit, Eos ſicco, ut ajūt, pede prætcrire hoc loco nefas duxi: pleriq; enim ad adyta illa Muſarum adſcenderunt, uno vel altero excepto. Lacedæmonij olim, qvamvis ἄμυσοι, ſacra tamen Muſis faciebāt, litabantq; ante pugnam, ſolius famæ cavſſa. Ita Ego hos Viros Strenuos jungo reliqvis, qvum etiam ipſam Minervam videamus armatam. Avſpicium, utinā! qvoddam ſit, qvo excitare deſidē juventutē ad amorem Armatæ Deæ cum Deo Lavreato valeā. Qvid? Num n'& Ille gloriæ Bonis eſt, qvi illos in lucē ponit, ut publico teſtimonio ad exēplū ꝓvehātur? Tantū eſt Lector. Tu ſeqvētes has chartas īſpice, lege, & me ama.

Caſſiod. 1. Var. ep. IX.

Curt. lib. X.

JOHANNIS NEANDRI Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMA.

Cicero pro Mar.

Rei Militaris virtus præſtat cæteris virtutibus; omnia noſtra ſtudia, & hæc laus forenſis in tutelâ ac præſidio virtutis bellicæ latent.

FORTI, CELSIQUE ANIMI ET CONSILII, VIRO

DNO. ANDREÆ KELLERO,

Strenuo aput Inclutos BREM. Militum Tribuno &c. Favitori & Amico Suo

JOHANNES NEANDER

S. D.

STRENUE ADMODUM ET FORTISSIME TRIBUNE; Decima Hæc Anagrammatum Meorum Decas ancipiti deliberatione ſuſpendi neqvaqvam debet, cui inſcribatur. Tibi St. Tr. Cui nullum donum exiguum ſcio ab animo amico profectum. Cavſſam habes. Amicus ſum ob ſolam Virtutem Tibi junctus. Addam & alteram? Qvia Prudens Tu & Doctus; cujus modi lectore, immo judice, opus Mihi in hac Decade. Addam tertiam; & qvidem privatam. Immortalem Te facere volui, qvo qvid homini ab homine majus nil dari poteſt, vivent enim Monumenta Hæc Noſtra, & cum illis Nomina hæc, qvæ Muſæo hoc Peplo intexui. Vis cavſſam aliam? Debui merito: Tu enim magnâ Scientiâ, Virtute, Providentiâ, Avctoritate, & Fortunâ ſecundarum ambiguarumqve rerum ſciens, diligenter ſummaqve cum lavde ſpartâ ità fungeris Tuâ, ut non minus Integritate qvàm Induſtriâ majorem Dignitatis gradum promereri cottidiè videaris. Tu Ille, cui Labor in negocio, Fortitudo in periculo, Induſtria in agendo, Celeritas in conficiendo adſunt. inſuper Ingenii dotibus & Animi artibus, ut pariter Carus & ſuſpiciendus ſis, efficis. Etenim ut in Cœlo Aſtra nunc benigno, nunc minaci vultu lucent ac radiant; ſed à Sole: ita dum Tu melioris Martis Muſarumq; cenſu inſtructus, in oculis Tuorum Militum es, à Tua Imagine mores illi accipiunt, rationemqve Prudentiæ atqve Juſtitiæ à Tua Virtutum omnium cellâ, velut rivum deducũt: Sed finio. Tu interim Str. KELLERE, qvod benigni creditores ſolent, voluntate meâ ſuſtentaberis, & illam nunc in ſolutum accipies. SALVE, SALVE. BREMÆ, WIL-

I.

WILHELMUS AB LO-HAUSEN,

Cognomento KALCKHEIM,
Qvondam Præfectus Summus Polemicus
Inclutæ Reipubl. BREMENS.
Nunc verò Serenisſ: & Invictisſ: Regis Sveciæ
ut &
Illuſtrisſ: Ducis Megapolitani Conſiliarius
Bellicus, & Præfectus Summus Polemicus.

ANAGRAMMA.

MUSIVA BELLONÆ LAVS;
MUSIVA BELLONA VALES.
MUSIVA BELLONA SALVE.

EPIGRAMMA.

TUn' LOHAUSE meres? Virtute mereris Honorem,
Qvum Te nec mereat, nec mereatur Honor.
Digna legi ſcribis; facis & digniſſima ſcribi;
Eſt Tibi Mars lævus, dexter Apollo Tuus.
BELLONÆ hinc LAUS es MUSIVA; & cœlitus avdes
Ardua Conſiliis Auſpiciisqve. VALES
MUSIVA BELLONA ſat, Virtuteqve. SALVE
Qvi Martis Decus es; Qvi Decus & Charitum.

PHILIP-

PHILIPPUS SPRINT-CEUS
Inclutæ Reipubl. BREMENS.
Tribunus Maior
&c.

ANAGRAMMA.

PLENUS SPIRIT' CIPPUS.

EPIGRAMMA.

GRandi à mole basis tenui in fastigia cono
Pyramis ut surgens Astra propinqua ferit:
SPIRIT' Ego PLENUS sic CIPPUS, Tendit ad Astra
Mens generosa, Mihi meta terenda data est.
SPRINTZIUS interea vivo contentus ubiqve
Sorte meâ, Mihi nec plus aliena placet;
Qvamvis sorte suâ nemo contentus, & intra
Fortunam vix sit qui velit esse suam.

ANDRE-

III.

ANDREAS KELLERUS

Inclutæ Reipubl BREMENSIS
Tribunus &c.

ANAGRAMMA.

CLARE ARDES: LUN' ES.

EPIGRAMMA.

UT roſeo fulgore decet fulgere Dianam,
CLARE ARDES ne? micas. Qva datur Arte clues
KELLERE. Anne colis ſimul & cum Lumine Mentem?
Obverte: Officio ſedulus esne Tuo?
LUN' ES: Pergè alias Lunis ſuperaddere Lunas,
Tentando Cœli ſcandere nempe gradus;
Vulgare ut poſſint cuncti, vel ſpargere famam,
KELLERUM demum Te qvoqve BREMA colat.

BARTHOL.

IV.

BARTHOLDUS SCHILDERIUS

ſub Auſpiciis
Inclutæ Reipubl. BREMENS.
Tribuni locum tenens.

ANAGRAMMA.

BELLI CURTA SORS LUDIS?

EPIGRAMMA.

Dum paribus fragiles concurrunt viribus ollæ,
In varias partes utraqve qvaſſa perit.
Hunc finem inveniunt Belli perſæpe Monarchæ;
Nam BELLI CURTA eſt SORS. Tibi ſigna dabo
BARTHOLDE? Havt opus eſt. LUDIS Sors proſpera: Sæpe
Cum victo victor ſorte caditne pari?
Ergo, age, Tu Pax alma redi, conjunge Monarchas:
Jungere diviſos mentibus anne redis?

V.

JOHANNES GEORGIUS SCHLEPEGRELLIUS

Tribunatus Sprintziani

Locum tenens.

(E in U.)

ANAGRAMMA.

PULCHRE SERVIO: OGGANNIS? HE! SUGILLES.

EPIGRAMMA.

MAgnanimum si forte virum Fortuna lacessit,
Usqve licet sævas intonet illa minas;
Obnixus contrà non cedere, sustinet ille
Cladibus obdurans fortiter usqve suis;
Ac sese ipse suâ involvit Virtute: sic instans
SCHLEPGRELLUS PULCHRE en!
SERVIO; dura premant.
OGGANNIS Zoile? HE! Culpes, multumqve
SUGILLES;
Et pergas. Cœpta res bene semper eunt.

HENRI-

VI.

HENRICUS A TWISTEREN

sub Auſpiciis
Inclutæ Reipubl. BREMENS.
Locum tenens.

ANAGRAMMA.

VIRTUSN' INESCAT? VERE.

EPIGRAMMA.

NUnquam non homini eſt VIRTUS gratiſſima: INESCAT
Nempe Bonos, vadens quà via nulla viam.
Numqvid ineſcatus φιλόμουσος piſcis Arion
Per tumidas tuto tramite fertur aqvas
HENRICE? & Virtus Solem præcedit euntem
Umbra ut, invitos ſubſeqviturqve comes.
Et qvo celſa magis ſe tollit in æthera, numqvid
Protinus, & VERE, ſplendida Fama ſonat?

VII.

GOTHEFRIEDUS HAATZFELDIUS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. Signifer.

(z in cs.)

ANAGRAMMA.

SOLERS FID', HAVT FUCATE DEGIS.

EPIGRAMMA.

SOlers, inqve Fide in Bello qvi transigit, ille
Acri etiam dextra est, viribus & potior
HATZFELDI: dubiis victoria qveritur armis,
Fortunæ tanqvam clausa sub arbitrio.
SOLERS inqve FIDE, FUCATE HAVT DEGIS Alumnus
Martis. Qvid? Num Te dura pericla premant?
Perge istâ virtute DEI certissima proles,
Et fuso semper Victor ab hoste redi.

LUDE-

VIII.

LUDERUS MEIERUS

Tribunatus Kellerian.
Signifer.

ANAGRAMMA.

SEDULUS RE MERUI.

EPIGRAMMA.

NUm Mihi vota fidem præstant, dum gloria palmæ
Quæritur? en, capiti laurea pulchra venit.
Principio fuerant tristissima limina Martis,
Prædurumque fuit tempora prima pati:
Sed demum Palmam MERUI RE SEDULUS: offert
En sese: & præceps Gloria monstrat iter.
Tandem hæc ipsa dabit summum contingere culmẽ;
Perpetuò quod tum Lausque Decusque manent.

IX.

SILVESTER von HUDEN

Tribunatus Schilderian.
Signifer.

ANAGRAMMA.

VEL IN DEO STRENUUS.

EPIGRAMMA.

SPerandum in tanto qvid restat turbine rerum?
Ut veniat Nostræ lenior avra rati?
Pergimus avt duris potiùs diffidere rebus
HUDENI? Primùm STENUUS incipias,
INqve DEO pergas. Pollet fiducia multùm
Ut veniat Nostræ lenior avra rati.
Nitere: nam Virtus pollet luctamine multùm
Viribus, & secum sola fatiscit iners.

X.

HERMANNUS HEMELINGIUS

Inclutæ Reipubl. BREMENS. Signifer.

ANAGRAMMA.

ANN' MERES LEGI? NUM? JUS.

EPIGRAMMA.

JActatis pennis avde Te credere famæ
HEMLINGI, æthereas atqve agitare vias:
Non facis: ergo Mea hæc voluit disponere Musa
Æternùm famæ qva supeesse dabit.
ANNE MERESqve LEGI? NUM? JUS sit fasqve; qvid obstet?
Et Marti, & Musis subdita cura Tui est.
Qvid loqvar? Hoc: Lavs ista Tua est numerosa, segesqve
Lavdis qvam serâ postmodo lavde metes.

DECADIS DECIMÆ FINIS.

SALVE

SALVE LECTOR, ET HAVE.

BOnorum officium est Viros Bonos nec ἄμουσος bono publico commendare: Benignitas verò & Prudentia Proborum est, Dignitate & munere eminentes venerari: Nihil enim tranquillum æque ac florentem Reipublicæ statum præstat, quam incolarum interse benevolẽtia sinceræ Charitati erogata. Quum verò varia Hominum munia sint; & alia majoris momenti quam media; alia minora ac plebi vicina; Hosce sanè præferendos Quis non censeat, Qui relictâ illa plebeiâ humilitate è turbido Dei Lucrij vestibulo se receperunt ad Conscientiæ tranquillitatem? Qui TUTO ET SECRETO LARE tecti, non neglecto Animi cultu spretis Fortunæ deliciis, Reverendo Dignitatis Ecclesiasticæ Nomine lucem suam tuentur. Tales sunt sequentes S S. WILLEHADI ac STEPHANI; ut & S. ANSHARII in Urbe BREMA Canonici, Quorum Nomina ἀναγραμματικῶς transposita, & Επιγραμματικῶς enucleata Duabus hisce sequentibus Decadibus junctim propono; dum Viros repræsento privatim Collegij; Publicè Honoris & Dignitatis quodam vinculo junctos, ANTIQVÆ VIRTUTIS ET FIDEI. Horum Amorem & Venerationem non levem, quia non à levi caussa, Bonus Genius pectori meo inspiravit, dum sensi Morum & Naturæ similitudinem quandam ab eodem utrique Genio impressam; sed Musarum, inquam, Genio, Qui Eruditionis & Virtutis gemino vinculo in æternam Animos Amicitiâ jungit. Hi illi

Οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν
Αἰδώς, ὃ δ' αἰσχρὸν χρῆμ' ἐπὶ κέρδος ἄγει.

Quibus in linguâ atque oculorum sede moratur Ingenuus pudor, & turpe lucrum fugiunt. in Quos, quod ad Romanorum olim laudem Salustius dixit, egregiè quadrat: *Laudis avidi, pecuniæ liberales erant*; gloriã (addo Virtutẽ & Doctrinã) *ingentem, honestas Divitias volebant*. Cæteræ cupiditates præ Divinis hisce deliciis ab His premuntur, dum Virtute, Doctrinâ, ac Modestiâ Gloriam (quã *cunctæ Felicitatis metam* vocavit antiquitas) Sibi privatim parant, Quam Silius Italicus *Honestæ Mentis facem* adpellat. Sed modesta Hæc inter Hos, ut quæ non in vitia Illos erigit, sed conspicuos per se, venerabili Dignitate coruscos aliis sine Illorum elatione ostentat. Ut Legislator Ille Divinus Moyses de Sinai monte descendens Gloriâ quâdam Divinâ exsplendescebat, fulgidus adeo, ut cuncti ad decus illud obstupescerent: Ipse verò solus suum fulgorem ignorabat, cognitum verecundè linteo protegebat. Ita & Hi Venerandi Viri quamvis sub verecundiæ velamento lateant, per Me tamen Illorum Nomina erunt, quando non Illi; erunt quamdiu Literæ erunt, non Nomine tantum, sed luculentâ commendatione Illorum Gloriæ, Virtutis, ac Doctrinæ. Interim desino. QVISQVIS ES LECTOR, ad Lectionis lubentiam descende; & HAVE ITERUM.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI Medici & Philosophi

ANAGRAMMATUM DECAS UNDECIMA.

Seneca Epiſtolâ LXXIX.

Nihil æqve ægrum reficit ſicut Amicorum adfectus : non judico me mori qvum illos ſuperſtites reliqvero : puto, inqvam, me victurum, non cum illis, ſed per illos.

*REVERENDIS, NOBILIBUS, AC PIE-
tate Amplissimis, Præstantiss:*

DNO. DECANO, SENIORI, ET CAPI-
tularibus Ecclesiarum Collegiatarum
SS. WILLEHADI & STEPHANI
Qvæ in Urbe BREMA sunt

*JOHANNES NEANDER
S. D.*

REVERENDI, NOBILES, AC AMPLISSIMI VIRI; Undecimã Hanc Anagrammatum Decadem Vestro Nomini Publicè Æternumqve sacratam volo; idqve & Vestrâ, & Meâ cavssa. Vestra qvidem, Qvibus Ego obstrictus ob Animi dotem; Humanitatem nempe blandumqve vigorem, Qvibus eminetis: Meâ, ob Honorem à plerisqve Vestrum acceptum, Qvem frustra Ego proseqvor: Velim qvidem magis qvàm valeam; coner qvàm possim; Volui tamen, & conatus sum: sed conatus, inqvam, sum, Famæ Vos sempiternæ insecrere eminentissimo Musarum ac Gratiarum choro stipatos. Volui qvoqve, & debui. Cavssam vultis? Monebat Comicus: *Ingratum esse hominem qvi scit Beneficia sumere; nescit reddere.* Ego qvid reddo? Munusculum, sed chartaceum qvidem. Vos Rev. Ampl. & Præstantissimi Domini CAPITULARES accipite; habete; & Me pariter amate. BREMÆ &c.

ROBER-

I.

ROBERTUS HAKE

Ecclesiar. SS. WILLEHADI & STEPHANI in Urbe BREMA

DECANUS;

Reverendissimi ac Illustrissimi Principis ac Domini

DNI. FRIDERICI

Ducis Brunswicensis ac Luneburgensis Cathedralis Ecclesiæ BREMENSIS Summi Præpositi Consiliarius, &c.

nec non

Illustr. ac Generosi Comitis in OLDENBORCH ac DELMENHORST Cancellarius, &c.

ANAGRAMMA.

ROBUR ES: TACE.

EPIGRAMMA.

Dulcis amabilitas, Mens, culta Peritia, Virtus,
Et Pietas juges constituere domos (Aula
Inne * *OMPTEDA, & Te? Comitis num cultior*
Vos habet Ingenio nobiliore pares?
ROBUR ES: An ROBERTE? TACE, Prudentia rerum,
Svada, Minerva, Lepor, Candor, Apollo, Charis, (Cujus
Mente Tuâ resident; OMPTEDÆ & pectore;
Gutture Mercurius, Vertice Pallas inest.

*Delmenhorstensis Comitatus Satrapam intellige.

II.

CHRISTIANUS COCCEUS

Ecclesiar. Collegiatar. SS WILLEHADI & STEPHANI

Canonicus Senior,
Thesaurarius,
Cellarius, ac
Bursarius, &c.

ANAGRAMMA.

AC; CRUCES NOCUISTIS?

EPIGRAMMA.

UNus Homo Nobis moriendo restituit rem,
AC Humanum Unus *perdidit ante genus:*
Non ponebat enim rumores ante Salutem
Opprobrium caussâ factus Adame Tuâ
In Cruce. Vosne CRUCES *NOCUISTIS? Quis tulit Istas?*
Mors mortis pendens in Cruce, cruxque Crucis.
Quid Nobis CHRISTIANE CRUCES? Via, Vita, Salusque:
Pro Nobis Vitam Crux tulit; Illa Crucem.

EBER-

EBERHARDUS WEEDE-MEIERUS

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus Subsenior;
Bibliothecarius, &
Structurarius, &c.

ANAGRAMMA.

USU; ERUERE HÆREDI DEBEMUS.

EPIGRAMMA.

ANnorum annonam Coelebs EBERHARDE parasti;
USU *hodie Nuptis convenit illa magis.*
Perlege Divina sinuosa Volumina Legis,
Hac Nobis narrant quæ facienda. Senes
ERUERE HÆREDI Thesauros nempe futuros.
DEBEMUS: Vera sic cumulantur Opes.
Quærere non prohibet DEUS Aurum: Posteritatem
Vult Natura; jubetque hac facienda DEUS.

GERHAR-

IV.

GERHARDUS DE NEVF-VILLE

Medicinæ ac Philoſophiæ Doctor,
Eccleſiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus, ac
Bibliothecarius;
&
In Incluto BREMENSIUM Lyceo Phyſicæ ac Medicinæ Profeſſor, &c.

ANAGRAMMA.

HE! FRUGE NULLI DEES: DURA.

EPIGRAMMA.

QVodcunqve eſt Sophie, qvodcunqve eſt Artis ubiqve,
Id NEVFVILLE Tuum parturit Ingeniũ.
Tu FRUGE es, NULLIqve DEES. Te nemo ſalutem
Deſperat Medico. Cur? Medicina Tua eſt.
HE, DURA! Similes Tibi pavcos dat modò BREMA
Doctores; neqveunt nec Tua Scripta mori.
Æternum pergas Nomen Virtute parare;
Qvo Labor eſt Major, Gloria Major erit.

JOHAN-

V.

JOHANNES HARTMANNUS

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus, ac
Presbyter Junior, &c.

ANAGRAMMA.

ANNE MORS SANAT? VIN'?

EPIGRAMMA.

Mens Immortalis mortem cur Corporis horret?
VIN' dicam? Timet se moriente mori
Cum carne; & restare nihil post funera, præter
Supplicium longum Judiciumqve putat.
Nos HARTMANNE facit suspicio morte tremētes?
Spernamus: Bona res Vita; sed & mala res.
Num qvoqve Tu palles avdito nomine Mortis?
Non: SANAT nam MORS. ANNE? Nocere potest?

OTTO

VI.

OTTO VAN HARLINGEN

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus &
Scholasticus, &c.

Anagramma.

AT HONOR, LUNA, GENTI.

Epigramma.

LUNA, AT, HONOR, GENTI quod sis HARLINGE refulgens,
Gaudeo, prosperiter quod Ratioque regit.
Te quoque, Virtutis pictura, Modestia, laudat,
Et laudo Ingenij signa notanda Tui.
Natura Ingenium genuit tam provida: Nosti
Naturam Ratio quod jubet ergo sequi.
Qui Ratione valet Croesi superaverit aurum;
Nam sapiens nullo tempore vivit inops.

VII.

ASCANIUS CRUSE

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus, &c.

ANAGRAMMA.

VINCAS RE CASUS.

EPIGRAMMA.

NUlla mala est Fortuna ? Æqva omnibus ? omnibus una est ?
Aspera si dulci miscet utrumqve facit.
Nos, qvod Virtutem soleat calcare, malignam
Dicimus; unde illi nomen inesse putem.
Est Dea communis; tamen est nil carius illâ;
Virtutem vilem rara sit usqve facit.
Hoc qvum sit VINCAS RE CASUS *numqvid oportet*
ASCANI? Numqvid velle necesse Tibi est?

JOHAN-

VIII.

JOHANNES A BENTHEIM

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI

Canonicus

&

Ill. BREMENS. Scholæ Collega, &c.

ANAGRAMMA.

EIA, NON TIMEAS? BEN'

EPIGRAMMA.

QVi rectè vivit, contemnit jura superbi;
Conscia Mens Recti qvid timuisse potest?
EIA, age, NON TIMEAS BENTHEMI: Cur? Tua vita
Culpanda est? Probrum pœne sit esse Probum?
Si BENE perpendis, scis qvod Tribulatio vexat
Nos, ne Tartareis Mens crucietur aqvis.
Qvod fornax avro facit, hoc Tribulatio Justis:
Hinc est qvod pavci gaudia vera ferent.

VALEN-

IX.

VALENTINUS LANGIUS

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI
Canonicus
&
Metropolitanæ Vicarius Summus, &c.

ANAGRAMMA.

LIS NON SALVA GENUIT.

EPIGRAMMA.

LIS GENUIT Leges; Legum Lis filia; SALVA
NON sine Lite potest, nec sine Lege potest
Vivi. Hanc ne violet vis adversaria Juri
Maxima; Justitiam aut callida Jura premant;
Alma Themis LANGI Ten' jussit ferre repagla
Justitiæ? Justum munus utrumque juvat.
Ingenium Natura dedit, Fortuna secundet;
Et crescente Tuo Nomine crescat Honos.

HENRI-

X.

HENRICUS A CAPPELN

J. U. Licentiatus,

Ecclesiar. Collegiatar. SS. WILLEHADI & STEPHANI

Canonicus

ac

Syndicus;

&

In Ill. BREM: Lyceo Pandectarum Professor.

ANAGRAMMA.

(C in D)

PLACIDUS PERENNA.

EPIGRAMMA.

Quicqvid habent Veneres, veterum Charitesque lepôrum;
Ingenij Genij qvicqvid ubiqve viget;
Omne HENRICE Tuis dico insedisse labellis;
Et qvid opus verbis est ubi Facta vides?
Qvalis sis Talem Te nemo intelligit. Atqvi
Tu fruere, & PLACIDUS nempe τὸ χρηστὸν ama.
Internâ interea longa Tu pace PERENNA,
Annorum centum dum Tibi vita fluat.

DECADIS UNDECIMÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DUODECIMA.

Cicero 3. de Finib.

Eſt hominis ingenui & liberaliter educati velle bene avdire à parẽtibus, à propinqvis, à Bonis etiam Viris; & futuræ poſt mortem famæ propter rem; etiam detracto uſu, conſulendum eſt.

REVERENDIS, NOBILIBUS, AC PIEtate Amplissimis, Præstantiss:

DNO. DECANO, SENIORI, ET CAPItularibus Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Quæ in Urbe BREMA est

JOHANNES NEANDER S. D.

REVERENDI, NOBILES, AC AMPLISSIMI VIRI; Duodecimā Hanc Anagrammatum Decadem Vobis Datam, Dicatam, legendam, judicandam repræsento. Qvid verò? Versus sunt; Novos appellem, an Veteres non sat scio. Veteres sunt mutuati, à Me reformati, & priore Sententiâ spoliati; denuo judicandi, si Vos judicetis. Placuere concepta; placuere lecta: placuere privatim, Publicè cupiam ut Pluribus placeant: nam Qvi legerunt, Unius Urbis mœnibus clavsi; Qui legent, Alij & Alij erunt, si digna aliqva invenient: Invenient avtem si Nominum Vestrorum Æra adpendero; Nominum, inqvam, Vestrorum Animorum Vestrorum limitibus circum scriptorum, Virtutum qvodam flore lectorum & contentorum. Vos Rev. Nobil. & Ampl. Viri à Me Vobis destinata Hæc Anagrammata capite benignè, ut Adfectum in Vos meum, veluti publicam notam, tandem aliquando publicè agnoscatis nullo unqvam munere exæqvandā. Accipite ergo, Me amate REV. NOB. & AMPL. Vestræ Virtuti, Doctrinæ, Humanitati serio cultu semper addictum BREMÆ &c.

CON-

I.

CONRADUS BERGIUS
SS. Theologiæ Doctor,
Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
DECANUS;
In Ill. Lyceo BREM: SS. Theologiæ Professor;
&
Verbi Divini in Æde S. ANSCHARI
Minister, &c.
(R in S)

ANAGRAMMA.

BIS SURGO, DECANUS.

EPIGRAMMA.

Praxitelis durus labor est, sed gloria durat,
Dum doctum Pario marmore durat opus.
Sic doctæ durant vivuntqve in sæcula chartæ
Anne Tuæ? meritò. Gloria quanta manet
BERGI? Professor factus, noviterq; DECANUS
Dicito, BIS SURGO. Gloria monstrat iter
Ardua. Me Princeps summum contingere culmen
Hinc voluit, Numqvid Mî meritusqve favet?

THEODORICUS A DU-RING

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
Senior, &c.
Hæreditarius in Behlumb
Terræ Kedinganæ &c.
p. m.

ANAGRAMMA.

HIC IN DURO GRATUS DEO.

EPIGRAMMA.

Debeo multa Tibi DURINGI: *Debeo; nec sum*
Solvendo; esse etiam lator in ære tuâ:
Infelix sed sum naturâ: nescio cavssam;
Ignorare etiam Me mea Fata volunt.
Interea IN DURO HIC *fueris qvum, Fata dederunt,*
In Cælo GRATUS *sis qvod, Amice,* DEO
DURINGI, *Venerande Senex. Mi ferre necesse est;*
Dat *toleret patiens ut mala,* cuiqve DEUS.

SEGEBADE VON DER HUDE

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
Subsenior,
&
Thesaurarius,
Hæreditarius in Kerektimmeke/
&c.

ANAGRAMMA.

DE VERO BEANDUS DEGE.

EPIGRAMMA.

ANte oculos SEGEBADE Tibi Themis incluta versat
Semper, & in toto vertice pulchra Tuo est.
Hinc Præfecturas Princeps *Tibi tradidit: at Tu*
Quod precor Ipse Tibi, quodque mereris agas
Interea; cuncti ut possint Te dicere mecum
Et rarum, & carum pro bonitate, Virum.
Sic SEGEBADE Tuâ Virtute Fideque BEANDUS
DE VERO æternùm DEGE: Placebit opus.

IV.

CASPARUS FRIEDERICUS COCCEUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Scholasticus, & Bursarius, &c.

ANAGRAMMA.

AC SPE, CEU FIDE CURRIS, CORUSCAS.

EPIGRAMMA.

NUlla foret, nisi Certa Fides foret, unaqve semper;
At si Certa foret spes, ea nulla foret.
Nos Ratio docet esse Fidem, cogitqve fateri,
Hac ratione: Fides est Rationis opus.
AC SPE, CEUqve FIDE Tu CURRIS; nempe CORUSCAS
CASPARE. His cunctis non Libitina nocet.
Certa sagitta Fides, nervus Tibi Spes, Amor arcus:
Estqve Tibi Cœlum meta, scopusqve DEUS.

JOHAN-

V.

JOHANNES FRIEDERICUS COCCEUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Canonicus;

&

Antiqvissimæ Civitatis STADENSIS Syndicus &c.

ANAGRAMMA.

SIC, ECCE, CORONANDUS FUERIS: I.

EPIGRAMMA.

QVIs Tibi JAN- FRIDRICE Decor? Qvis Splendor? & unde est?
A Proavis; Lumen conciliante DEO?
SIC est. ECCE DEUS donavit ad omnia nato
Insuper Ingenio Te. Meliora loqvar?
Anne CORONANDUS FUERIS? Fueris: modò perge:
I: Serta hæc Phœbus Pieridesqve parant.
Canescant alij mento; Nos Mente: capillo;
Nos Animo: facie; Pectore, Nosqve DEO.

MEINHARDUS MEIEN-HARDI

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
Canonicus,
&
Pastor, &c.

ANAGRAMMA.

INDE RES ARDUA: MEMINI.

EPIGRAMMA.

NUda Sacerdotis docti si credere inertem,
Verba docent Populum, vivere vita docet.
Et Tua sic penitus præcordia scrupulus exest,
Quod non sis alius, quàm Tua lingva sonat.
INDE est RES, MEMINI, satis ARDUA, vivere vitam
Ut mors Interitus non sit, at Introitus.
Idcirco memor Æterni, ô MEINHARDE, Sacerdos,
Sanctorum vitam degito, non legito.

VII.

HERMANNUS WIPPERMANNUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Canonicus, &c.

ANAGRAMMA.

UNUM NUMEN; PRAVA SPERNIS.

EPIGRAMMA.

SOrtitur sibi qvisqve Fidem. sibi Numina qværit
HERMANNE; in JESUM qvum tamen una fides.
Huc, illuc, Genius miseros trahit. Est tamē UNUM
NUMEN, ut in Cœlo Sol; & in Orbe DEUS.
Theiologi certent UNUM colis, & bene SPERNIS
PRAVA, Ah! Qvantus in hoc tempore litis amor!
Est pravi Tibi nulla fides; spes namqve futuri
Te tenet. Est Eadem semper, & Una Fides.

VIII.

JOHANNES SCHLÜ-TERUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Canonicus, &c.

ANAGRAMMA.

SIS LUCERNA, NUTO? ES.

EPIGRAMMA.

SCHLUTERE hevs! velum es Timantis (nam-que videri
Nil nisi sub piceâ Sol qvoqve nube potest.)
In tenebris etenim micat ut lux ignea; sic Tu
SIS LUCERNA Ego qvid NUTO? Mi-nerva Tibi
Ingenii lumen concessit grande: Qvid ultra?
Ut Doctus, Dignus lavdibus esse qveas.
MORIBUS ANTIQVIS ES; tum Candoris honesti;
Ergo Tuum Nomen qveis reticere qveam?

IX.

JODOCUS WIPPERMAN

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Canonicus, &c.

ANAGRAMMA.

NISU CUPIDA PROMOVE.

EPIGRAMMA.

ESt qvi delectat Nos Nisus, qviqve titillat
Nisus, & ad nutus ducit agitqve suos.
Nos cupide huc, illuc, torqvet, versat; trahit & Cor:
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.
Sed CUPiDA Hæc NISU Tu PROMOVE, & arripe, si Te
Ducit in augustum semita certa locum.
Jussit ad augustam toto conamine vitam
Ire per angustam Littera Sacra viam.

X.

JUSTUS HAKIUS
Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI
Canonicus
&c.

ANAGRAMMA.

SIS ACUTUS VI.

EPIGRAMMA.

O Res fallaces! culpa est ea temporis hujus;
Velle solent homines quæ voluisse dolent.
Trojani eversâ sapuerunt deniqve Trojâ,
Qvis non Trojanum se fateatur in hoc?
Tu modò sis Cautus. VI, HAKENI, semper ACU-
TUS
SIS; Ratione regas Te; Ratioqve regat:
Ut, qvamvis veniant casus & tristia fata,
Omnia constanter speqve Fideqve feras:

DECADIS DUODECIMÆ FINIS.

HAVE

HAVE ITERUM LECTOR.

POſt in Typos protruſa & divulgata Canonicorum SS. WILLEHADI & STEPHANI, ut & S. ANSCHARI Nomina Anagrammatiſmis exhibita, ſeqventes Hos Reverendos itidem Doctiſſimosqve Viros ſtilo repræſento; nam ab eadem cavſſa amo Eruditionis, ab eadem colo Pietatis. Utinam utrobiqve imiter! Sed pro viribus imitabor, & exemplum Hos ſtatuam ad utramqve illam metam. Vos interim Reverendi admodum & Eruditi Viri, ſpirantem aliqvam avram piis Veſtris Precationibus ſubfundite ac juvate; ſic non tam facilè trãsvorſum abripiar, ſi remigium partis utriusqve acceſſerit. Cœleſtis mellis nectarisqve profuſi liqvores à Vobis fluunt, qvi à terrâ abripiunt rerumqve humanarum, ut ſic dicam, ripâ abripiunt, ut in vado ſiſtant ÆTERNÆ BEATITUDINIS. Cogor dicere; Avrea ſanè ſunt qvibus à Vobis erudimur, dum mirâ dexteritate ac induſtria Evãgelij myſteria diſpẽſatis; Nosq; robuſto velut alimento Verbi Divini paſcitis. Utamur hac Medicina; Huic adhæreamus Prometheo, Qvi Nobis igniculos hosce Divinitatis ab alto infundit. Divinæ ſanè Literæ Immortalitatem qvandam ſpirant; nec enim ſinunt humana ingenia ſitu ac ſqvallore obſoleſcere; niſi qvòd in arduo atqve edito monte habitent; Labores, Sudores, ac Vigiliæ in Earum Veſtibulo excubenr. Nil mortale habent; ſed ad Divinitatem proximè accedunt. Felices igitur, MI LECTOR, Hi Ipſi Reverendi admodum & Doctiſſimi Viri ſunt

felici

felici hoc commercio. Qvare his, ut fabris, utamur Qvi Nobis ſcalas & gradus ad ſuperiora ex abyſſo & hoc infimo mundo magis magisqve in altum ſubvehentes fabricant, ne infimis his terræ gradibus adhæreamus, ſed ad veram Felicitatem pergamus, ÆTERNIQVE DEI CONTEMPLATORES evadamus; Æternoqve Illo imbuti Igne, Æternâ Beatitudine, Qvæ Ipſa Immortalitas eſt, à Domino Noſtro JESU CHRISTO circumamiciamur.

Ad Vos redeo Rev: & Doct. Viros; Vos qvoqve Clariſſ: & Ornatiſſ: Hygeiæ ac Naturæ Myſtas; ut ad Vos Prudentiſſ: Themidis Sacerdotes, Qvos hac de cavſſa felices puto, qvod Exercitiis Vos cottidie ad Summam Beatitudinem, Qvæ, ut dixi, Immortalitas Noſtra eſt, erigitis. Animo igitur & Adfectu in Vos largus eſſe volui; ſed non potui effectu eruditionis, qvam tanto religioſius in Vobis venerabor, qvantò Ipſe à plenâ Lavde remotior ſum. Sed finio. Tu interim

Qvi ſolus es Auctor omnium bonorum
Immenſe Pater, Vita, Salutis via, Finis;
Da quæ ore Tuo ſunt data præcepta referre
Illis, nitido fulgure, Spirituq; recto.
At Tu melioris Genij provida proles
Munito viam Domino: ſemitas parato.
Non cæſa olea ſatis eſt; non ſternere veſtes.
Terra havt repetit munera Qvi donat Olympum.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philosophi

ANAGRAMMATUM
DECAS DECIMATERTIA.

Lipsius in Orat. de Calumniâ.

Qvid rerum humanarum carius Famâ? qvæ jure est Bonis ante bona omnia, & ipsam vitam. Nam hæc utraqve caduca & fluxa sunt: & opes qvidem ante Nos, sæpe, vita nobiscum semper abit. Nomen avtem & Fama æternant; eaqve sola cum non erimus, hîc erunt.

REVEREN-

REVERENDA DIGNITATE CONSPI-cuo, & Conspicuâ Reverentiâ observando

DNO. LUDOVICO CROCIO
SS. Theologiæ Doctori,
Ejusdemqve in Incluto FABIRANENSIUM Lyceo Professori;
Ministerij BREM: Superintendenti;
ut &
Divini Verbi in Æde D. MARIÆ Virginis Mystæ, &c.
S. D.

REVERENDE ADMODUM ET DOCTISSIME CROCI; Tuo Nomini sacra Decimætertiæ Hujus Decadis Nomina cupio; Optimo Nomini Optima Nomina, Qvæ singula ad Famam iverunt, pervenerunt suâ sponte. Certe in ore plurium magnis titulis gloriosi pleriqve sunt; in Libris Scriptisqve Immortales. Insigne præmium, & ab Ipso DEO Illis destinatum Qvi in Virtutis, Doctrinæ, ac Humanitatis orchestrâ sublimes residẽt

velut alter Olympi
Vertex, qvi spacio ventos hyemesqve reliqvit;

adeoqve à docto Animo proficiscente miscentur Famæ, & neqvidqvam reflantibus Invidiæ ventis in Æthera properant & Æternitatem. Te inter Illos taceo: Plures enim Te pleno liberoqve Adfectu lavdant: utinam imitentur. qvod elogium sic verbis velox ac repentinum esse; sed Adfectu firmum & meditatum confidito: Sermo enim Mihi ut Spiritus est, qvem si pectore comprimo, vehementius fundo: Animus verò liberam perpetuamqve amoris avram spirat. Sed desino. Tu lege & admitte hæc Tibi inscripta. Si placebunt, erit cur gavdeam. nî avtem, facies illud qvod Volusij Annalibus Catulli puella minata qvõdam. SALVE

à T. JOHANNE NEANDRO.

MATTHI-

I.

MATTHIAS MARTINIUS
Illustris Scholæ BREMENSIS,
qvum in vivis esset,
RECTOR,
&
SS. Theologiæ Professor, &c.

ANAGRAMMA.

SARTUS MI MATTHIA: NI?

EPIGRAMMA.

ERgo obiit Lingvis variis facundus? & Ille
Dictus Amor Sæcli, *Deliciumqve Scholæ*
Fabiranensis *cecidit? Qvid dixero? Solem*
NITe MARTINI? Qvo tenebrescet erit
Lux Tua tempus? Erit nunqvam. SARTUS ne vigescis
Interea in Cœlis? Gloria nempe datur
Hæc Tibi MI MATTHIA. At Nos sitimus eundem
JESUM, Qvem pleno nunc bibis ore satur.

Obiit die 21. Junij, Ann. 1630.

TOBIAS PEZELIUS

SS. Theologiæ Licentiatus;
Ministerij Ecclesiastici BREMENSIS, qvum viveret, Senior;
&
Verbi Divini in Æde D. MARIÆ Virginis Minister, &c.

ANAGRAMMA.

ZELASTI PIUS: BEO.

EPIGRAMMA.

AD Cœlos migrare volens PEZELIUS, orat:
Mene tuum servum (en!) in Tua Regna vocas?
Tabesco infelix odio langvoris iniqvi:
Solam opto mortem qvam mihi Fata negant.
At Tu, Cujus in hoc veni discrimen amore,
Alme DEUS, dextram porrige, ne peream.
Respondit Dominus: *ZELASTI Tu PIUS: ergo*
PEZELI es Noster: Te BEO: Lumen eris.

Obiit ipsâ Dominicâ Palmarum
Ann. 1631.

LUDOVI-

III.

LUDOVICUS CROCIUS

SS. Theologiæ Doctor,
In Ill. BREM: Lyceo Ejusdem Professor;
& pro tempore proRector;
ut &
Verbi Divini in Æde D. Mariæ Virginis
Pastor, & Ministerij BREMENS:
Senior.

ANAGRAMMA.

LUCIDUS CORUSCO VI.

EPIGRAMMA.

SI Qvisqvam Nostrâ Doctorum in Urbe Virorum
Divinæ meruit nomen habere Lyræ,
Hic LUDOVICUS erit CROCIUS, Vir Inclytus ore,
Qvo dicente puto Me super astra rapi.
Namqve Hic ni spirat, nullus spirabit Apollo;
Ut Cygnus Zephyro non nisi flante canit.
LUCIDUS interea Tu dic, LUDOVICE, CORUSCO;
Ulqve: potes Docti nomen habere Viri.

IV.

FRIEDTERICUS HENNINGIUS

Hippocraticæ & Hermeticæ Medicinæ Doctor, &c.

p. m.

ANAGRAMMA.

TUNE REFIGIS? HINC REDUNIS?

EPIGRAMMA.

TU *Mihi Doctorum Princeps FRIDRICE fuisti*
Clare Senex; qvondam Tu Mihi Ductor eras.
Hoc Tibi qvas dignas reddam pro munere grates?
Sola tua est. Patiar. TU, Mihi, Doctor eras.
Theiologus, Medicus, Cheirurgus, tum Sophos, inqvam,
Et Talis Qualem nescit Aristoteles.
Excellens Chymicus NE REFIGIS? & HINC ne REDUNIS?
Censeo prosperiter. Tu Mihi Doctor eras.

Fati munus implevit die 20. Januar, Ann. 1632.

VALEN-

V.

VALENTINUS AMENDÆUS

Medicinæ Doctor;

Reipubl. BREMENSIS Physicus &c.

ANAGRAMMA.

AN DEUS TU ES? AN LUMEN? ITA.

EPIGRAMMA.

ARbitrium Cui sit Vitæ Mortisqve potestas
Summa data, hæc Uni proxima pæne DEO;
Hic DEUS? AN LUMEN? rogito: vel num sit utrumqve,
Stet velut in Cujus vitaqve Morsqve manu?
Adsecla sum qvod ITA est. DEUS es LUMENqve refulgens
VALENTINE Artis Doctor in Arte Tuâ.
Hippocratem nemo esse negat Te temporis hujus;
Arte potes Phœbi plus Tibi qvàm sit opus.

VI.

JODOCUS HOFMEISTERUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANSCHARI Pastor, &c.

ANAGRAMMA.

O! JESUM DOCES FORTIUS.

EPIGRAMMA.

UT moneas, doceas, frustra HOFMEISTERE moneris;
Frustra, inqvam: inne Homines Tu Pius, inqve DEUM?
Qvippe DOCES JESUM Tu FORTIUS ore diserto;
O Verbo pulchrum, prorsus & Arte caput!
Instrue Tu Populum, cujus Tibi credita cura est,
Sic ut praeceptis pareat Ille Tuis.
Ne succumbe oneri, sed CHRISTI intentus Honori
Ad Domini vigila Pastor ovile Tui.

JOHAN-

VII.

JOHANNES ADAMIUS

Artium ac Philoſophiæ Magiſter,

&

Eccleſiæ Collegiatæ S. ANSCHARI

Paſtor extraordinarius

&c.

ANAGRAMMA.

HO! NISU DAS ANIMÆ.

EPIGRAMMA.

MActe! Evangelij ſincerum Dogma tueris
ADAMI? HO! Brabium grande Salutis habes!
Cur? NISU Verbum Tu ANIMÆ DAS nonne Jehovæ
Heic privæ plebi? DAS locuplete ſinu.
Credendi docuere vias hoc tempore multi:
Sed docuere vias. Qvid labor iſte Tuus?
Ædificat. Pergas, qvò nunc bene vivere diſcant
BREMENSES, Cœli gloria certa manet.

VIII.

PETRUS TIMMER-MANNUS

Ecclesiæ Collegiatæ S, STEPHANI Pastor, &c.

ANAGRAMMA.

RUMPANTUR; MENS TIMES?

EPIGRAMMA.

DUlcior Hyblæo melle est dum gratia Lingvæ
TIMMERMANNE Tibi, Mentis & integritas,
Frons & aperta, malos (RUMPANTUR) corripe, & insta;
Qvò pascas Animas, ut facis, at pateris?
Anne TIMES MENS? Cur timeas? Vis dicere qvare?
Unus qvum Tibi sit dicere vera scopus?
Gaudia cur non det Mens hæc Tua criminis expers?
Dic crepat invidiâ Zoilus ipse suâ.

CHRISTO-

IX.

CHRISTOPHERUS UCHTEMANNUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. STEPHANI Pastor emeritus.

ANAGRAMMA.

A CHRISTO NUNC STEMUS PURE.

EPIGRAMMA.

JUdice Me, Soli semperqve perinde Beati,
Qvi sperantqve bonum, qvi metuuntqve malum.
Speraret Cœlos nemo, si nemo timeret
Infera: Prudenti spem facit ipse Metus.
Inde Bonum PURE Pietas, UCTMANNE, relinqvit;
Si gavdet, si flet, si tacet, Hoc loqvitur.
Hac spe NUNC STEMUS CHRISTO, ac imitemur Honestum;
Hoc Nobis reliqvis sit potiore loco.

X.

GERHARDUS HANE-WINCKELIUS

In Illustr. BREMENSIUM Athenæo
Hebraicæ Lingvæ Professor;
&
Templi D. JOHANNIS
Monasterii vulgò zun grawen München
Pastor.

ANAGRAMMA.

DEI NUNC HERCULES VI ARGUAS.

EPIGRAMMA.

PEjores Patribus sumus, ut Majoribus Illi;
In vitium faciles. Curqve GERHARDE sumus?
Consvetudo & Mos vim Legis habere videntur;
Improbitas hodie vim qvoqve Legis habet.
Ergo dum vitiosumus, havt virtute, notati
Tuqve DEI NUNC sis HERCULES; & bene; VI
Qvæ nosti impartire libens, atqve ARGUE Corda:
Herculis est decimus tertius iste labor.

DECADIS DECIMÆ TERTIÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI
Medici & Philosophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMAQVARTA.

Alanus de complanctu Naturæ.

Veræ famæ hæc est gloriosa proprietas, ut appetitores sui contemnat, appetat contemptores: famam fugiendo consequitur, quam perderet in consequendo.

REVEREN-

REVERENDO ADMODUM, NOBILISSIMO GENERE, LITERIS
ac Sapientia non è multis

DNO. GEORGIO BERNHARDO
A PELCKHOVEN

Verbi Divini in Æde D. MARTINI
Qvæ in Urbe BREMA eſt
Præconi vigilantiſſimo;
Favitori & AMICO Meo

JOHANNES NEANDER
Medicus ac Philoſophus
S. D.

REverende admodum & Nobiliſſime DNE. PELCKHOVI; Novus Annus eſt, & Tu Mihi novus Amicus. Anni cavſſa Xenium; Amicitiæ teſſeram dicatis AVSPICIIS repræſento; & utrumqve voto concepto comitor; *Annus* ut felix, Amicitia ut perennis ſit, Virtutis & Literarum velut fibris nixa. Comitor; & à fuco Xenium, à fallaciis teſſeram vindico, qvibus nimirum nunc munera & amicitiæ inqvinantur. Ego ſanè candidi candoris Canditatus munus Tibi debere videor; & ideo qvia amo, qvia mereris, Tuo Nomini ſacra eſſe hujus Decadis Nomina cupio; adeoqve optimis Nominibus Optimum Patronum adſciſcere; & ſic Virtutis Tuæ, Doctrinæ, Humanitatis tergeminæ Aræ vota adpendere, Amoris, Obſeqvij, Cul-

Cultus. Adpendere ? immo exſolvere Amorem Humanitati, Obſeqvium Venerationi, Cultum Natalibus. Jungit ſe illis ſoror Pietas, illud Virtutis & Doctrinæ ornamentum, an fundamentum? Agnoſcimus hoc nos ipſi, dum fugiens Majorum titulos privâ induſtriâ, & innato vigore animi, pæne ſtupente Familiâ Tuâ ad excelſam veræ & Orthodoxæ Religionis apicem perrupiſti; glorioſus qvidem qvòd ex ipſo papatus profundo emergere tam felici conatu potueris; glorioſior avtem qvòd modum felicitati poſueris, & qvum ſumma fortuna promitteret, mediocria ſis amplexus, illis intentus qvæ ad ſuprema illa & Cœleſtia viam Nobis pandunt. O exemplum in omni ævo rarum! qvo non ſolum deſiimus facere lavdâda, ſed etiam lavdare. Livor & obtrectatio paſſim Te petunt? Qvid tamen Te morentur? qvi ſplendiſſimæ vitæ delinimenta projicere, & concul care potuiſti; nonne facilè iſta? Mihi conſtantia tua admirabilis eſt, amicitia grata, convictus in hunc usqve diem probatiſſimus. Tu vero mactè Nobiliſſime & Literatiſſime Vir, moribus juxta Socrates omnes avt Catones! De Gente qvid dicam Tua? Gentem PELCKHOVIAM habes, qvæ diffuſis per Bavariam & Palatinatum radicibus, etiam nunc inter præcipuas floret. Proavus GEORGIUS fuit divitiis potens & ſplendibus, Vir prudens, gratus Magnatibus, natus negociis, qvi in ſynedrio ſupremi Conſilij Bavariæ Inferioris Conſiliarius conſenuit. Avus MATTHIAS qvum propter Orthodoxæ Religionis

nis professionem infestum infensumqve *Albertum V.* Bavariæ Ducem experiretur, sponte relictis omnibus, exilium cum Comite *Joachimo ab Ortenburg* in Palatinatum superiorem amplexus est. Qvi Vir eximius & Martis insigne decus qvum esset, in suo exulatu ad Beatam illam & Cœlestem vitam viam qværens, animum Sacrorum Bibliorum lectione occupabat, adeo ut interdiu noctuqve illorum lectioni perpetuus insisteret. Pater TOBIAS A PELCKHOVEN qvum itidem militaris gloriæ cupidinem animo impressisset, majora moliens, Virtutem & Virtutis præmium seqvutus & adseqvutus est, & ob res benè in Galliâ & Hungariâ gestas, bene consultas celerrimo Militaris Virtutis cursu ad summos honores adscendit. O grandes hos, & pro exemplo Viros! Macte his Majorum Titulis Reverende admodum & Nobilissime D. PELCKHOVI! Vive; & fac ut magnum & Nobile Nomen Tuum apud Nos etiam locum inveniat; fructum reddat ψυχῆς ἰατρεῖον. BREMÆ die &c.

HERMAN-

I.

HARMANNUS HILTEPRANDUS

Ecclesiæ Collegiatæ S. STEPHANI. Pastor, &c.

ANAGRAMMA.

TUN' ARDENS LAMPAS? VIRN'?

EPIGRAMMA.

INter Theiologos si qvis numerandus, & illos
Qvales recta Fides famaqve novit; age,
TUN' ARDENS LAMPAS? VIRN' es? dic, dic Mihi: Verum est
HARMANNE; in Templo vox sonat. Ane sonat
Heic ubi Concentusqve Sacri, vis ipsaqve verbi
Adficiunt sensus inficiuntqve meos,
Qvum purum Pectus Domus Oratoria; Cantor
Spiritus, & Mundum Cor Manuale precum?

JOHAN-

II.

JOHANNES ALMERUS

Verbi Divini in Æde D. VIRGINIS Pastor, &c.

ANAGRAMMA.

VAH! NON MALE SERIS.

EPIGRAMMA.

PRomittit Nobis qvicqvid sacra pagina in Æde
VIRGINIS heic Diva numqvid JANE docès?
Pulchra docesne? MALEve SERIS? NON. Optima: dico.
VAH! (mirer!) taxas Crimina Theiologus.
Criminis est nemo, nemo discriminis expers;
Ut mala Tu taxes crimina nostra volunt:
Pro spartâ hac majora Tibi dum præmia surgant,
Debentur meritis Carmina Nostra Tuis.

GEOR-

III.

GEORGIUS BERNHARDUS A PELCKHOVEN
Verbi Divini in Templo D. MARTINI aput BREMENSES Pastor.

ANAGRAMMA.

NUNC GREGES PASCO VERBO DEI; LAR: ꝫ?

EPIGRAMMA.

Nobilis Ingenio sum, Stemmate Nobilis idem,
PELCKHOVIDUM; at sumpto munere PASCO GREGEM
Sponte DEI VERBO: NUNC LAR sum (gaudia spretus
Aulica:) sic toto pectore Numen amo.
Dum facio, Numenqve docens PELCKHOVIUS oro,
Avdeo qvod temere nemo subiret onus.
En, DEUS hunc animum Mihi si inspiravit, eodem ꝫ
Avspice, qvod cœpi, perficietur opus?

O BALTHA-

IV.

BALTHASAR WILLIUS

SS. Theologiæ Doctor,

Philosophiæ Practicæ in Incluto BREM: Lyceo Professor;

&

Verbi Divini in Æde D. MARIÆ Virginis Præco.

ANAGRAMMA.

I: LAVS URBIS VALLAT.

EPIGRAMMA.

TE Pitho miratur, amatqve canorus Apollo,
Inde etiam petitur jam Tua fama Mihi
WILLI. Nonn' URBIS *LAVS VALLAT? Vallat; Honores*
Avgens pro Meritis, pro Pietate Tuâ.
I: Te Præconem meritò tua Gloria clarat;
Clarat Scripturæ clangor, & Artis honos.
Qvin si nil alias prorsum Tu Lavdis haberes,
Te decorant Virtus, C*andor, & Artis honos.*

V.

JOHANNES WACHTMAN
J. U. D.
Civis & Patritius BREMENSIS
&c.

ANAGRAMMA.

AH! OMNIA VANESCUNT.

EPIGRAMMA.

HUmanum in Terris nihil est qvod non sit humandum;
Avolat hinc Animus; cætera sorbet humus;
Æs, ferrum, Argentum, argento preciosius Avrum,
Eruta de Terris cuncta perire vides
WACHMANNE; AH! sed num VANESCUNT OMNIA? Tempus
Fine DEUSqve carent; cætera sed pereunt,
Omniaqve in terram redeunt. Qvid? Nil manet ergo?
Sola Animi pietas permanet astra petens.

VI.

FRANCISCUS PIRENIVS

In Illuſtr. Schola BREMENSI
Inſtitut. Juris Profeſſor,
&c.

ANAGRAMMA.

NISU, CURAS, PERFICIS.

EPIGRAMMA.

TUne Ille à primis Parnaſſi (hevs!) ungvibus herbis
Paſtus, & in Sophie cœlitus altus agris
PIRENI? CURAS Animos, NISUqve ſecundo
PERFICIS. Et cur non? Gloria vera Tua
eſt,
Qvod Tibi ſint Sophies Themidisqve ingentia dona,
Ingenio Pietas nec minor ipſa Tuo.
Te Juvenem credat nemo, niſi clavſerit avres;
Te, ſi non clavdat lumina, nemo ſenem.

GERHAR-

VII.

GERHARDUS COCSEVS J. U. D.

&

Professor in Illustri Gymnasio BREMENSI.

ANAGRAMMA.

ES DECUS: ROGAS CUR?

EPIGRAMMA.

JUris, & æqvarum Cultor Doctissime Legum,
Dum Themidi justæ fortia Corda sacras,
ES DECUS omne Tuis: Genius promittit; at ultra
Qvid? GERHARDE ROGAS? Dicere nil opus est.
CUR? Propius Superis accedis Civibus; & Te
Solertem atqve Bonum, qvod decet, Ipse facis.
Perge ità; fructus erit: Sibi sunt confinia nempe
Sedulitatis onus, Commoditatis Honos.

VIII.

EBERHARDTUS A REHDEN J. U. D.

Civitatis & Patritius BREMENSIS.

ANAGRAMMA.

TER BEANDUS RE ARDE.

EPIGRAMMA.

INgenij est RHEDENE Tui vigor igneus. unde
Colligis hoc? inqvis: Cernere nonne licet?
Pectus, & Adfectus, Cerebrum, Ratio, Caput, & Cor
In Te funguntur munere qvodqve suo.
Te Lingvæ decorant, Anne hoc? tum pagina Legum?
Exornant Artes & Pietatis amor?
Macte! Hem Vir-Juvenis Cœlo TER terqve BEANDUS
Vivito, REqve ARDE Vatis amore Tui.

MATTHI-

IX.

MATTHIAS GLANDORPIUS

Medicinæ ac Chirurgiæ Doctor,

&

Aput Inclutos BREMENSES Practicus non è multis.

ANAGRAMMA.

PODALIRIUS SAT, TANGAM.

EPIGRAMMA.

ES Medicus CLANDORPI; & re; dum velle videris
Æmulus esse Patris, re quoque Talis eris
Cheirurgus. Possis demum superare parentem
Defunctum, Æqualis Filius esto. Sat est.
Quum Tua Scripta lego, dico. PODALIRIUS Hic est
SAT Doctus: TANGAM: Plus satis unus Hic est.
Cheirurgi multi scripsere hoc tempore multis;
Sed si quis superest, Tune Melampus eris?

JOHAN-

X.

JOHANNES TESMARUS

Eloqventiæ ac Græcæ Lingvæ
In Ill. BREM: Lyceo
Professor, &c:

ANAGRAMMA.

NON TEMERAS JUSSA.

EPIGRAMMA.

DUm TESMARE vagæ Moderator magne
Juventæ
Inter Bremenses *doctior Arte clues:*
Si qvisqvam Orator, Vatesqve est optimus idem,
Si qvenqvam dotis lavs utriusqve decet;
Tene decet? TESMARE decet: Tu namqve Minervæ
Perpetuus torrens, Eloqviiqve parens
JUSSAne Tu TEMERAS? NON. Tu Ductor
Mihi qvondam:
Perpetuus tanti Præco Laboris ero.

DECADIS DECIMÆ QVARTÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMAQVINTA.

Appulejus de Philoſ.

Bonos omnes oportet inter ſe amicos eſſe, etſi ſunt minus noti: nam poteſtate ipsâ qvâ mores eorum ſectæqve conveniunt, Amici ſunt habendi: Paria qvippe à ſimilibus non abhorrent.

CLARISSIMO VIRO, ET AMI-
CORUM OCELLO
DNO. JOHANNI SCHILDIO
Artium ac Philoſophiæ Magiſtro;
In Illuſtri Scholâ BREMENSI
Collaboratori,
&
Eccleſiæ Collegiatæ ad S. STEPHANUM
Paſtori Extraordinario
&c.

S. D.

AB EADEM, IN QVA TU DOCES SCHOLA, Amœnioris Animi avram traximus, Clariſſime & Amiciſſime SCHILDI; & Virtutis Sapientiæqve ſtudio erecti ſupra vulgum reflectere ad Felicitatis originem vultum cœpimus gratæ Mentis; Stilo Ego, Tu Voce. In Celebri Gymnaſio verſaris, & Celebris Gymnaſij magna pars es; in Ludi illius freto tranqvillus; in alto & Literario ocio feliciter occupatus. Felicem Scholam Tali, inter alia, fulcro! & Me qvoqve Veteri Amico! Interim creſce; robur ſume; ſis Lux Juventutem dirigens ad meliores illas Scientias, ad Rempubl. & latum clavum. Tu DEUS ÆTERNE, OMNIUM GENITOR, IPSE NON GENITE, PRINCIPIO ANTIQVIOR, FINE DIUTURNIOR, infunde ab alto Sapientiæ Tuæ radium, & Mentem Huic illuſtra, ut cum Honore Tuo, cum Fructu Avditorum in Suggeſtu Ille docere, in Scholâ Juventus ab Illo doceri poſſit! Hoc voveo; & Te Huic Interim Decimæqvintæ Decadi Clariſſime SCHILDI Patronum ſcribo, Qvam ſi non ad Illorum, Qvorum Nomina in Illâ transpoſita ſunt, Lavdem; ad Spem ſaltem emitto. Scribebam è deſidiabulo meo ſuburbano JOHANNES NEANDER
Medicus ac Philoſophus.

JOHAN-

I.

JOHANNES WILLIUS
Artium ac Philoſophiæ Magiſter;
Illuſtr. Gymnaſij BREM. Pædagogearcha;
&
Metaphyſicæ ac Logicæ Profeſſor
&c.

ANAGRAMMA.

VILIA NON VIS: LUES.

EPIGRAMMA.

NIl vanum, nec vile volo, Doctiſſime WILLI;
Cur? Niſi caligo eſt; nil niſi tetra LUES;
Qvam dum Tu cernis, Vir Prudens, VILIA NON VIS;
Noſti qvod valeant vilia, vana, nihil.
Cernis? Te fecit Probitas, Natura ſagacem,
Ut poſſis: Qviddam Spirituale ſapis.
Vilia qvum pereant eſt Virtus *ſola perennis:*
Temporis *Æterna hæc* Filia *ſola placet.*

PETRUS

II.

PETRUS VARENHOLTIUS

Verbi Divini in Æde D. MARTINI
aput BREMENS: Pastor.

ANAGRAMMA.

PETRA VOLENS VIRTUS.

EPIGRAMMA.

VIrtuti studeas frustra Tu PETRE moneris;
PETRA es namqve VOLENS. Qvippine inesse putem
Hanc Tibi? Qvis dubitet? Tu nitere; & usqve seqvetur
Gloria Virtutem corpus ut umbra suum:
Sit qvamvis Virtus aliqvid, nil Gloria; sicut
Petra est qvod Corpus, corporis umbra nihil.
Rerum Regina est VIRTUS, si PETRA jubebit,
Cujus jam totum Te tenet unus amor.

JOHAN-

III.

JOHANNES COCCEUS

Lingvarum Orientalium,
In Celeberr. BREMENS: Athenæo
Professor, &c.

ANAGRAMMA.

ECCE! NOSCIS NOVA?

EPIGRAMMA.

QVum Tibi plus mentis, Tibi Cor, limante Minervâ
Acrius, & veniat Laurea multa Tibi;
Hæc qvoqve fronte legas, precor? en! Te JANE, serenâ
Per genium Famæ Castalidumqve gregem:
Nam NOVA dum NOSCIS, Nostra Hæc Te pagina novit
ECCE! Peregrinæ plectra secunda Lyræ
Nam monstras. Numqvid res est hæc ardua? At esto:
Hinc fas est cineri Te superesse Tuo.

GERHAR-

GEERHARDUS VLOCKENIUS
Pastor Suburbij D. REMBERTI prope Inclutam BREMAM.

ANAGRAMMA.

CIGNUS RURE DOCES. VALE.

EPIGRAMMA.

DUm CIGNUS Tu RURE DOCES, bene vivere discant
Ruricolæ, quod post facta seqventur Eos:
Dumqve doces casus lachrymarum rore rigandos,
Qvod grave peccati repperiatur onus;
Orci & Cœlorum regna indivisa; Malignus
Nemo habitet Cœlum, tartara nemo Bonus,
Quæ Tua merx GERHARDE? Loqvar. Cœlone reposta est
Hæc (incerta licet altera) certa? VALE.

V.

JOHANNES SCHILDTUS
Artium ac Philosophiæ Magister;
Primæ Classis Præceptor
&
Ecclesiæ Collegiatæ ad S. STEPHANUM
Pastor Extraordinarius.
&c.

ANAGRAMMA.

SIS IN LUCTANDO: ES?

EPIGRAMMA.

DUm volvis, qvod Fata volunt Te volvere, saxum;
In Te dum CHRISTI vivit, & ardet, amor;
SIS IN LUCTANDO cum Dæmone, Carneqve, Mundo;
Atqve ES? Pastorem sic decet esse pium.
Mi SCHILDTI. In medio strepitu turbâqve Scholari
Num sensisse Tuam Musa fatetur opem?
Faxit CHRISTUS ut huic possis par esse labori!
JANUS es: à tergo qvid sit, & ante, vides.

GOTHE,

VI.

GOTHEFRIEDUS HOTTON

Ecclesiæ Gallicanæ,
Qvæ in Urbe BREMA est,
Minister, &c,

ANAGRAMMA.

FORTIS NE, TUTO, DEGO?

EPIGRAMMA.

QVamvis hac vitâ Libertas nomen inane
Est, HOTTON; nec qvit vivere tutus homo;
Non mortis formido diem, qvæ carceris hujus
Finis, & Æterna porta Qvietis erit:
Sed CHRISTI DEGO sub TUTO umbone, vocandus
FORTIS, dum stipat nectaris imbre sinus.
Sic Mihi dum tristes depello pectore curas,
Ipse homo non videor, sed Deus esse Mihi.

CONRA-

VII.

CONRADUS THOM BOENE

Sub Serenisſ. & Potentisſ. Regiæ Majeſtatis DANIÆ, &c.
Exercitu qvondam
Generalis Avditor;
&
Supremus Qvæſtor
&c.

ANAGRAMMA.

SATNE DEO BONUM COR?

EPIGRAMMA.

MAgna qvidem res eſt facundia; res qvoqve magna
Doctrina eſt; Probitas vincit utramqve tamen.
SATNE DEO placuiſſe ſolet Probitate BONUM COR?
Sat. Qvoqve Juſticiæ dum bene jungis opus,
CONRADE, interea dicam qvod ſentio de Te?
Omnia (vel Momo judice) puncta feres.
Anne omnes lavdant Tua Commentaria? & Illa
GARRO ne aput manes vidit? & obſtupuit?

VIII.

BERNHARDUS SCHRO-DERUS

Bremensis Gymnasij Collega.

Anagramma.

ROBUR CURRENS DAS? DES.

Epigramma.

PRudenter latitas, si Te latuisse pateret
SCHRODERE: Hoc ipsum Te latitare patet,
Dum ROBUR CURRENS DAS, ædificasque Juventam;
DES; fingens Cœli vascula digna domo:
Nam Verbo & Facto cunctis Tu Regula Morum
Optima; Tuque omni tempore Norma Tuis.
Non Ductor, Doctorque Mihi fuit aptior alter:
Debeo Præceptis scribo quod ista Tuis.

HEINRI-

IX.

HEINRICUS LUTHMANNUS

BREMENSIS Scholæ Collaborator.

ANAGRAMMA.

IN TEN' SURCULUS ANIMI?

EPIGRAMMA.

QVid Tibi vis, qvi Me immodicis tot lavdibus ornas,
Atqve onerans nugas tollis ad astra meas?
Crede Mihi, melior Tu Me LUTHMANNE Poeta:
INTEN' SURCULUS is? SURCULUS est ANIMI
INTEN' tam egregij? Dico. Majora reqviris?
Cum fructu grandi centupla dona feres.
Macte! Vir hoc esto sono! Chelys avrea Phœbi
Num par hisce Tuis lavdibus esse qveat?

X.

CHRISTOPHERUS CNIPPINGIUS

Illustr. Gymnasij BREMENS. Cantor, & Præceptor.

ANAGRAMMA.

ORPHEI CIPPUS; HUNC STRINGIS.

EPIGRAMMA.

QVem Candor, qvem prisca Fides, qvem Musica fovit
Melpemone Qvis sit dicite Pierides.
Hiccine sit CIPPUS stabilis CNIPPINGIUS ORPHEI
Pierides Musa dicite. Vera loqvor.
Illius es Cippusne? HUNC STRINGIS nempe canorus:
Per tres Pierides, tres Charitesqve loqvor.
Orphea Tene vocem? vocem & ipsum Amphiona? Ferme
Lavs Tua cum Orlandi lavde perennis erit.

DECADIS DECIMÆ QVINTÆ FINIS.

HAVE

HAVE QVISQVIS LEGIS.

VIta Civilis in Societate eſt: Societas in duabus rebus, Imperio & Commercio. Illud alterius loci eſt. Hujus ad omnes res humanas uſus: ſed ad Politicum ſtatum maxume; qvòd ſine illo non ſolùm infirmum ſit; ſed, avſim dicere, nullum. Qvis navim dirigat ſine ferro qvod adfricuit Siderites? ſic nunqvam humana ſocietas ſine mutuo commercio ſtabit. Qvare glorioſa olim *Mercatura* fuit, cujus *ope cum barbaris conſvetudo, amicitiæ cum regibus jungebantur; ac multarum rerum peritia pararetur.* Ejus ſimiliter dignitas qvum in hac Noſtrâ Civitate cum primis emineat, & honeſtiores pleriqve eam amplexentur, non poſtremo loco cenſendi illi, qvi conſvetudine & inclinatione ad id vitæ genus apti, ad multarum rerum commoda & peritiam conferunt. Inter illos in publicâ hac, ut ſic dicam, navi alii eminent, non inter remiges avt navales ſocios, ſed qvi ad gubernacula & clavum ſunt conſtituti. Hi maximè præcipui, & majoris eminentiæ, qvi Mercatorum Andrio, qvod vulgò Kauffmanshauß (aliâs Schütting) præpoſiti (Alterleute nos vocamus) maritimorum & veſtigalium illorum curam agunt. Horum Nomina uno qvaſi intuitu in Decadibus hiſce duabus ſeqventibus ob oculos Lectori pono. Viri ſanè ſunt can-

Plutarch. in Solon.

didi moribus, vitâ & ingenio modeſti, ad Humanitatem inſuper, Fidem, ſedulitatem, omnemqve Virtutem facti; Patriæ probisqve nati, & improbis; illos ut ad præmia provehant; hos (naturali enim deliqvio fit, ut ſontes tribuliqve etiam in felicibus campis) ut premant & inſectentur. Fidem publicæ famæ adpello; & his de cavſſis amare Viros hos cœpi, & conſvetudine ac amicitiâ plurium uti. Amare, inqvam, & ſic commendare, qvum juſtum humanitatis officium Amori debeam, & *juſto* Amori. Hi illi Qvi benignâ Severitate, & ſeverâ Benignitate Mercatorum & Navtarum jura ſtatumqve defendunt, res fiſci navtici regunt, eoqve ſpectantes dijudicant, ac ærarij navtici rationem examinant. Dignitas, Me judice, ampla; qvia Reges, Principes, Dynaſtæ hoc ſeculo in hac parte: Faceſſat Ariſtoteles, qvi non à Noſtrâ mente, qvod ἀγεννὴς ὁ τοιοῦτος βίος, καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος, *parum generoſa hæc ratio vitæ, & virtuti adverſa.* In hac Republicâ rara nobilitas, & pleriqve honeſtiorum amplexantur id genus vitæ; & uſurpant non magno ſuo malo. Qvin, ut dixi, *olim Mercaturæ ſua dignitas fuit*, ut Plutarchus tradidit, *ut qvæ commoda ex regionibus barbaris adferret, amicitias cum Dynaſtis conciliaret, & ad multarum rerum peritiam conferret.* In horum qvoqve numero ſunt Xenodochij (qvod vulgò der Seefahrt armen Geſellſchaft dicitur)

In-

Inspectores; qvæ sanè domus sustentaculo & refugio mercatoribus & navcleris est, qvi magnum & sine terminis mare sulcantes, ob illius invidiam & furorem, bona sua amiserunt. Subsidium sanè utiliter inventum pavpertinæ Senectuti. Sed non ad hoc leguntur alij, qvàm ex ipsâ Patriâ, qvi in eâ; & pro eâ: nec enim hoc indulgetur externis. Decadem Decimam septimam claudunt Xenodochij, vel Contubernij pauperum, qvòd olim Monasterium Fratrum Minorum fuit (vulgò zun grawen München) Curatores: Horum, ut ex titulis colliges, qvatuor sunt: Illorum cura qvæ ad usum & victum pavperum, qvorum hoc Monasterium 70. numero alit decrepitos, & utriusqve sexus. Ut ad Mercatorum Seniores redeam, Hi, sanè, pleriqve non leviter havserunt ex Musarum fonte & πολιτείας scypho, nec crudo velut stomacho, sed qvasi amoenioris & politioris eruditionis & Politicæ scientiæ promulside initiati. Qvare æstimandi Viri Hi; æstimandum Munus publicum, qvo ipsa Urbis Nostræ gloria æstimatur. Qvid amplius dissero? Qvibus vile & neglectum hoc munus, malo mentis morbo Mercurialibus inimici sunt, qvasi, qvum nihil ipsi famæ nomine dignum gerant, ne aliorum Nomina, Gloriæ titulo, in publicum propellantur, & referantur, Laborem hunc Nostrum damnent. Sed damnent. nigræ & inqvinatæ mentes sunt,

qvæ Famam horrent; qvum hæc una, velut Ævi Scena, priorum sive Virtutes, sive etiam scelera Posteritati repræsentet. Contineant se illi, moneo, Silentij & Secreti latebris, ac in occulto sint. Vos, qvi legi etiam, & esse in Scriptis Meis vultis, legite & cognoscite illa, ut qvâ Gloriâ Hi Viri legantur, ac legendi ipsi sitis, cognoscatis. Tantum voveo.

Si qvisqvam est, qvi probari se cupiat probis
Oratione, Vitâ, Scriptis deniqve;
In his avdacter nomen profiteor Meum.
Neqve Ego istos mores novi seculi novi,
Qvi fronte hilaro corde tristi inambulant;
Quos placitum est laudant, quos placitum est, vituperant.
Verone an falsò cicum non interduint.
Procul hæc à Nobis; edepol, haut dicam dolo,
Tales inimicos Mî, quàm Amicos malui.
Dicam; ut nunc res est, haut Me famæ pœnitet:
Sed Vos favete, & date crescendi copiam.
Æquum est ab Æquis Me par impetras sere:
Ab iniquis porrò haut æquum est æqua postulem.:
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malũ.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMASEXTA.

Cicero in Lælio.

QVoniam res humanæ fragiles caducæqve ſunt, ſemper aliqvi acqvirendi ſunt qvos diligamus; & à qvibus diligamur. Charitate enim benevolentiaqve ſublatâ, omnis eſt è vitâ ſublata jucunditas.

AMPLISSIMO
GRAVISSIMO
SPECTATISSIMO

COLLEGII MERCATORUM

QVOD IN URBE BREMA

ORDINI,

Quòd

PIETATEM NON FUCATAM AMPLECTITUR UNICE;

VIRTUTEM,
HUMANITATEM,
CANDOREM,
MODESTIAM

COLIT NON FUCATE;

ORDINI

INTEGERRIMO,
PRUDENTISSIMO,

UT IN OTIO NEGOTIOSUS SIET, IN NEGOTIO OTIOSUS,

QVOAD FAMAM IMMORTALIS;

VOTUM CONCEPIT ET POSUIT

JOHANNES NEANDER
Medicus ac Philosophus;

BREMÆ KAL, MART. M.DC.XXXII,

AMPLIS-

AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS,
SPECTATISSIMISQUE COLLEGII,
qvod in Urbe BREMA est,
Mercatorum
SENIORIBUS,
Qvorum Anagrammata in Decade
hac Decimasexta reperiuntur,
JOHANNES NEANDER
S. D.

AMPLISSIMI, GRAVISSIMI, ET SPECTATISSIMI VIRI; Avgustus Cæsar qvum Liberos suos Populo Romano commendaret, adjicere solitus est *si merebuntur*: & Ego Hanc Anagrammatum Decadem Vobis, si merebitur. Infamiam enim qvi non timeam, qvum oculos sive ad ævum hoc flecto, sive ad rem ipsam? Illud qvidem pronum ingerere calumnias, hanc natam accipere toto sinu. Illi in lavdes nimis pronus videbor; alij in reprehensiones: huic ad superbiam vergere: alteri in adulationem proclinare. Deniqve in re privatâ qverulus videbor, & cum amicis diales gemitus recensere. Profluunt hæc certe, ut animus meus est qvum scribo, & cogitationum indices sunt. Qvem lædo si doleo, si qveror, si gavdeo? Nec nimium tamen qveror, qvia scio exoriri posse deteriora. Sed hoc proprium Mihi Fatum, ut ex candore meæ scriptionis oriatur semper aliqvis ignis. In cæteris Meis Scriptis nonne simile? Qvomodo benè sperare de judiciis posterorum debeo, cui tam iniqvi sunt vivi? Sed qvamdiu in hoc proscenio sum personam susti-

ſuſtineo; licet & judicia multorum experior valde in Me prona. Cur interim offendar? ſæpe qvidem lapſus ſum, & labor cottidie; ſed qvantum poſſum errorē retracto, & à poſtremâ hac incude firmiora erunt, niſi fallor, contra malum dentem. Sed hos omitto: illud tantùm inſtillo: ſi arrodere pergant,

κἂν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.

etiam mus mordeat virum improbum. Sed libentius ad benevolas & amicas animas devenio, in qvibus dehinc Vos Graviſſimos & Spectatiſſimos Viros cenſeo, Qvibus HANC Decadem Decimamſextā inſcribo; & qvidem meritò, qvū Veſtro judicio ſubfragioq; ſubmittatur. dum enim tali ſchemate prodit, Vobis non minus qvàm Mihi placere debet, vitam enim illi Vos decernere, Ego dare poſſum. Si igitur & Vos admittatis, qvaſi & vitam illis decernere videmini. Vobis igitur obfero, qvia Vos famā promeremini, Ego ſubſcribere ſaltem poſſum. Interim conabor in aliud qvoqve ævum dare hujusmodi Muſarum lymphas, qvæ guſtum aliqvem & vigorem melioris avræ ſeculo inſpirant. Conabor, inqvam; & efficiam, ſi Favoris Veſtri rivo illabente rigatus fuerim, & munitus contra procellas invidæ calumniæ. Sed qvid illa in Noſtram Famam? Nocere magis vult qvàm nocebit:

Illam aget pennâ metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

At Vos valete Ampliſſ. Graviſſ. & Spect. Viri, BREMÆ &c.

COEN-

I.

COENRADTUS COCCEUS

Urbis Patriæ è Senioribus Civibus;
Granarij Præfectus.

ANAGRAMMA.

COCCEUSNE CORDATUS?

EPIGRAMMA.

Qvum mare, qvum tellus Homines populetur, & Ignis,
Tot pereant morbis, tot fera bella necent:
Qvumqve hominum in pejus solertia callida semper
Inveniat causas in nova fata novas;
Interea bene sis CORDATUS *semper: at es* NE *?*
Hoc loqvor: Avt nemo, avt COCCIUS *Unus agis.*
Hincce Fides, Labor, Ingenium, Vigilantia, Cura,
Fecerunt Charum Civibus esse. places.

WILHEL-

II.

WILHELMUS MEIERUS

Urbis Patriæ è Senioribus Civibus,

ANAGRAMMA.

EU; JESUM; ILLE MURUS.

EPIGRAMMA.

QVid loqvar? obsessum dum Me tenet improba turba,
Et vito Fratrem Cavsidicumqve suum;
Qvem specto? JESUM: Est Hic MURUS aheneus; ILLE
MEIERE, anne valet; Eu valet. Ille minas
Spernit; verba & odit fallacia. Justior esse
Anne meâ caussa hac esse potest alia?
Sed qvid agam interea? DEO committere caussam
Est certum. Quid tum? Post quoque Justitia.

JOHAN-

III.

IOHANNES HOIERUS

Urbis Patriæ è Senioribus
Civibus;
Armamentarij Inſpector;
&
Eccleſiæ D. MARIÆ
Virginis, Ædilis.

ANAGRAMMA.

IO! ANNES VI, SERO.

EPIGRAMMA.

QVid, ſi mutârit tempus cum Corpore formam;
In vitium Virtus degenerare poteſt?
Non ſapor eſt unus cunctis jucundus, odorque;
Nec facies cunctis omnibus una placet:
Candida Mens fuſci ſed damnat penſa coloris:
Hæc HOIERE Tibi. Numquid? IO! Judicio
Non opus. Hinc n' ANNES VISERO? perge mereri
Præmia ſecurus non peritura, Vale.

GEOR.

GEORGIUS SCHRIVERUS
Urbis Patriæ è Senioribus
Civibus.

Anagramma.

SURGO, SECURUS ERIGI.

Epigramma.

FRatri Ego qvid jubeo? Patrimonia dividat. Ille
SCHRIVERI non vult. Consulo causidicum.
Is Mihi judicio svadet contendere. SURGO
SECURUS; sperans ERIGI in exsilio.
Ergo qvi pulchrum, fasqve illusisse Neandro
Vultis, causidico præmeditante dolos;
Ne gaudete; meis nec læti illudite damnis;
Qvæ mea sors hodie est, cras fore vestra potest

COENRADVS ZIEREMBERG
Urbis Patriæ è Senioribus
Civibus, & Signifer.
(Z in T S.)

ANAGRAMMA.

DEUS SANE CREBRO MERGIT.

EPIGRAMMA.

NOs miseros meminisse juuet quæ fecimus ante
Plurima: quæ passi quid meminisse juuet?
Terque, quaterq;, die Justus cadit, ut lego scriptum;
Nempe DEUS MERGIT (Quot documenta dedit?)
Et CREBRO, ZIRMBERGE: At quid? Num protinus Ille
Submergit? Nunquam. Se probat esse DEUM.
Non SANE est autor culpæ; sed criminis ultor;
Inde datur fato prosperiore frui.

VI.

JOHANNES SCHWEECH-HUSEN

Urbis Patriæ è Senioribus Civibus;

ANAGRAMMA.

NUNC SCENÆ VIVO. ESSE.

EPIGRAMMA.

VIvus defunctus dum vivo, Mihiqve superstes
ESSE moror; qvanam mente ferenda putas
Quæ Mihi conciliant, qvibus est contemptus Honesti,
Cordaqve montanis asperiora feris,
SCHWECHUSI? Mala Fata! pigro marcore qvievi,
Optima pars vitæ deperiitqvé meæ
Hactenus. Ah, VIVO SCENÆ NUNC! Mente revolvens,
Qvàm non fraternè (Numina!) frater agat.

JOHAN-

VII.

JOHANNES BALLER:
Urbis Patriæ è Senioribus
Civibus.

ANAGRAMMA.

EN LABOR: ALISNE?

EPIGRAMMA.

QVid qveror? Hoc; Nullo labentia tempora fructu,
Totqve diu sumptus deperiisse meos
BALLERE: EN LABOR, ecqvid ALIS? Per mille labores
Nec Mihi fert Clio, nec Mihi Phœbus opem.
Nec scio utrum fugiam magis, an Fratrem, an simul Illum
Qvi dat verba Mihi cavssidicoqve meo.
Ite igitur Musæ steriles, aliumqve ministrum
Qværite; Nos aliò sors animusqve vocant.

VIII.

JOHANNES ALERS
Urbis Patriæ è Senioribus Civibus.

ANAGRAMMA.

AN ES LAR? SENIO.

EPIGRAMMA.

TE Nitor in vultu, gestu Decor, ore Venustas,
Vis oculis, verbis Gratia, mente Vigor
Commendant: SENIO LAR ES: velut herba renides
Qvum levis arentem recreat imber humum.
ALERE, ANne ES LAR, cui sic conspirat amicè
Mascula Vis, hilaris Gratia, magnus Honos?
Cultaqve Simplicitas, & culta Modestia Tibi est:
Inde Tuus longâ in sacula vivet Honos.

FRIED-

IX.

FRIEDTERYECUS WOLPMAN

Urbis Patriæ è Senioribus Civibus;
Aedilis Civitatis.
&c.

ANAGRAMMA.

FIDEN', UT CLYPEO, SERVAMUR?

EPIGRAMMA.

OMnia Qvi in Cœlo servat, Terrâqve, Mariq;,
Omnia Qvi vegetat solus, & Unus alit;
Nos reddit justos NE FIDE, qvod Apostolus inqvit?
Reddit: namqve Fides non leve pondus habet.
Hacce FIDE, UT CLYPEO SERVAMUR. Nomen JESU
Liberat & sævis de Cacadæmonibus
FRIEDTRYCE. Anne Fides Pietatis robore nixa
Illustrem Cœli tendit ad astra viam.

HEINRICUS BALLER
Urbis Patriæ è Senioribus.

ANAGRAMMA.

EN; LIBERALIS: CUR?

EPIGRAMMA.

OPtima de cunctis res est bene velle mereri,
Et genus erga hominum, qva licet esse piũ.
Regia res sanè est; & plus qvàm regius ille
Qvi tam prodigus atqve LIBERALIS.
Phaleuc.
EN, Ego, sed verbis BALLERE; havt ære. Ego Verbis
Prodigus existo. CUR? Mihi namqve satis
Verborum superest; comes adsidet improba egestas,
Jactaqve in infidam semina mœret humum.

DECADIS DECIMÆSEXTÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI

Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMASEPTIMA.

Tacitus Annal. lib. IV.

Unum eſt inſatiabiliter parandum, proſpera ſui memoria: nam contemptu Famæ contemnuntur Virtutes.

GRAVISSIMIS, SPECTATISSIMIS, PRUDENTISSIMISQVE

COLLEGI MERCATORUM SENIORIBUS; XENODOCHI (der Schefahrt ꝛc.) INSPECTORIBUS, PTOCHODOCHI zu den grawen München CURATORIBUS,

Qvorum Anagrammata in Decade hac Decimaseptima conſpiciuntur & leguntur,

JOHANNES NEANDER S. D.

GRAVISSIMI, SPECTATISSIMI, ET PRUDENTISSIMI VIRI; Qvi Muſarum hæc avt Gratiarum ſacra rejicula cenſent, næ illi vacerræ ſunt, & de Apuleji proſapiâ; id eſt, inter aſinos præcipui; (nam avreus ille erat) adeoqve digni qvos rudentes perticâ comprimeremus? Sed nos agaſones non ſumus, nolumus illis errorem ſuum vel invidere, vel eripere. Eſſet hoc hominis malè abs re ſuâ ocioſi; illud fatui. Ferendum igitur, eoqve magis qvod etiam Athenis plurimæ noctuæ. Vos ſanè Graviſſimi, & Prudentiſſimi VIRI tam corneam fibram non habetis: Sanius certè ſapitis, & Noſtra hæc, qvaliacunqve ſint, æſtimatis. Macte iſto judicio! Ego certè dum in id incumbo ſedulo, ut vitæ hoc qvicqvid eſt, qvod breve adeo, ut ſpem vetet inchoare longam, utiliter tranſigam; illudqve mecum verſo HOMINI HOMINEM ESSE DEUM, Hoc curo (licet Ingenij aliqvando deſtinet imbecillitas.) ut Muſagetas aliqvos adliciam. Feci. Faciam. VOS inter Illos, Qvos voveri cupio FAMÆ ET ÆTERNITATI; licet unusqvisqve Veſtrûm ad Famæ Ædem ſatis ſibi præluceat. Decadem Hanc interim Decimamſeptimam ad Judicij Veſtri obruſſam examinate; corrigite. Primum, qvia Humani eſtis, velitis: Alterum, ſi velitis, poteritis. Velitis avtem, qvia poteſtis. Valete Graviſſimi, Spectatiſſ: & Prudentiſſ: Viri, BREMÆ &c.

JOHAN-

I.

JOHANNES HOLLEUS
Urbis Patriæ è Senioribus;
Templi D. MARTINI
Ædilis;
(der Sehefahrt)
Xenodochij Inspector.
&
Signifer.

ANAGRAMMA.

NIL HONOS? HE, VELAS?

EPIGRAMMA.

HUnc HOLLÆE Tibi (Scripto Hoc contestor) Honorem
Do. meritò anne? Per hoc conciliatur Honos,
Sit qvod NIL hic HONOS Tu dicas, Macte! es Honorus
Scilicet! at VELAS. Verus habetur Honos
Hic, nec vulgaris; comitatur Gloria. Numqvid
Qvum tegitur Virtus creditur esse nefas?
Est. ideo Hanc promis, Patet Ingeniumne? Vigescit
Successu, Studio, Consilioqve pari.

II.

GERHARTUS MEIERUS

Urbis Patriæ è Senioribus;
Granarij Præfectus;
&
Xenodochij Inspector, &c.

ANAGRAMMA.

HEV! TERRAS GERIMUS.

EPIGRAMMA.

REbus in humanis nulla est constantia certa,
Veridico vates Petrus *ut ore canit*
MEIERE. HEV TERRAS GERIMUS! Gens fluxa, caduca,
Sed spe (perversè at) credula corda fovet.
Num, dum læta viret jucundo flore juventa
Provida venturi cura doloris adest?
O malè stultorum mens credula, qvi brevis ævi
Tempora non nôrint qvàm fugitiva volent!

III.

THEIODORUS MEIERUS
Urbis Patriæ è Senioribus,

ANAGRAMMA.

SERMO DEI VERUS: ITO.

EPIGRAMMA.

O Pater immensâ Cujus Bonitate foventur
Omnia, quæ Mundi machina cuncta capit;
Anne Tuus SERMO VERUS? Verum esse fatemur;
Perneget hæc quamvis impia turba; (malum
MEIERE!) omnia quæ casu nulloque movente
Dicit sic fieri, tum nihil esse DEUM.
Impia vox hæc estne DEI quæ Numina spernit?
ITO in hos stultos Numinis ira potens!

NICOLAUS VOER-WOLDT
Urbis Patriæ inter Seniores.

ANAGRAMMA.

DEUS COR VULT: AIN', VOLO?

EPIGRAMMA.

NUm DEUS Hic, Cujus nihil est sine Numine sanctum,
Omnia qvi vegetat Solus, & Unus alit;
COR Hominis Mundum VULT? Vult VOER-WOLTE: Qvis ille
Qvi dubitet? Qvis AIN'? Numqvid ait Dominus?
Non Ego fœda VOLO præcordia Vestra; Serena
Me, Dominum mundi, flectere Corda valent.
Corde Hunc contrito veneremur; Maxime Regum
Dicentes, Solum Te decet omnis Honos!

V.

WILHELMUS KATTER-BACCHIUS

Urbis Patriæ inter Seniores;

Xenodochij S. ELISABETHÆ Inspector.

ANAGRAMMA.

AC TUT' MELLEUS BACCHI RIVUS?

EPIGRAMMA.

PEr Veneris comites Bacchum, Risusqve, Salesq;,
Qvæqve hilarant Genium gavdia læta meum,
WILHELME, AC TUT' es RIVUS, sed MELLEUS actu
BACCHI, Qvi longum nos vetat esse diem.
Cor salit; Os ridet; lætis nitet ardor Ocellis;
Palpitat & trepido sangvine vena micans.
Omnibus hoc notum qvum sit, vivamus; & omnis
Adposito valeat cura dolorqve mero

PAUL.

VI.

PAVLLUS DOELE
Urbis Patriæ inter Seniores;
Xenodochij zu den grawen München CURATOR.
&c.

ANAGRAMMA.

LAVDE POLLES. 82

EPIGRAMMA.

SOla immortalis Probitas, Virtusqve perennet,
Simplicitas Stygiis nec rapiatur aqvis:
Has, DOELE, an seqveris? Seqveris. Prudentibus annis
Uteris, & magnas elicis inde faces
Vitæ. Et dum POLLES LAVDE hac, Mens semina Lavdis
Excitat, & latè luxuriare facit.
Mortuus hinc Vivus, Tu, PAVLE, Æternus in orbe es;
Nec citò marcescens Gavdia vera feres.

VII.

ARNOLDUS MEIERUS

Urbis Patriæ inter Seniores,
Granarij Præfectus;
&
Xenodochij Inspector.

ANAGRAMMA.

DEON' SERVAMUR? LIS?

EPIGRAMMA.

Carne sumus pulvis; sumus, ecce, miserrima tellus;
Nec nisi vivendo somnus & umbra sumus
MEIERE. An LIS est? Nulla est. Nos carpimur igne
Ut stipulæ rapido. Dum loqvimur, morimur.
Non tamen in totum: Vitæ melioris origo
Nos spectat Cœli gavdia vera ferens.
Anne DEO æternùm SERVAMUR? Gratia CHRISTI
Num servat? Sola hæc Gratia præstat opem.

BRUNO

VIII.

BRUNO MELLÆUS

Xenodochij zu den grawen München CURATOR, & Ecclesiæ D. MARTINI Diaconus.

ANAGRAMMA.

UNA MORS BELLE. ẽ.

EPIGRAMMA.

OMnibus est eadem lethi via: sed tamen una
Mors prodestne Bonis? Num scelus omne fugat
Corporis interitus terreni? Sic; fugat. at hoc
Efficit, ut sumant præmia principium.
Cuncta Piûm BRUNO; lachrymas absumit; amara
Cuncta fugat BELLE. At altera Mors mala. Quæ?
Scilicet hæc: Animæ Mors. Quanta, hev! pœna seqvetur
Te, qvæ perpetui porta doloris eris!

Vide de Morte altera Apocalypſ. cap, 2. & cap. 20,

THEIO-

IX.

THEODORUS MEIERUS

Hieronymi p. m. Filius;

Xenodochij zu den grawen München CURATOR.

ANAGRAMMA.

TU DEO MIRE VIRES: OS:

EPIGRAMMA.

DUm querula fundo suspiria mœsta querela,
Conqueror & vitæ fata sinistra meæ;
TU THEODORE DEO ne VIRES? MIRE, agnita caussa est,
(Ingenuo verum si licet ore loqui,)
Te, loquor, haut inopis torquent fastidia vitæ,
OS quamvis oculos fallat, ut umbra, Tuos.
At, puto, gaudebis rursum. Fortuna favebit:
Virtuti comes est scilicet Illa Tuæ.

X.

CHRISTOPHERUS PECKDORFFIUS
Xenodochij zu den grawen München Curator.

ANAGRAMMA.

PROSPER' EFFICIS: CUR? DOCTUS.

EPIGRAMMA.

Est quid, quod sanctè optatur petiturque, quod ille
Non habeat Christum *pectore quisquis habet.*
PECKDORFFI: Nihil est. Hunc quum possederis, en Tu
EFFICIS ut semper prospera cuncta cadant.
CUR? DOCTUS, Sollers, magno conamine cunctæ
PROSPERè agis. Numquid læta futura Tua est
SORS? Dubitat quisquam? Christi *defixus amore*
Omnibus omissis perdere & ille potest?

DECADIS DECIMÆSEPTIMÆ FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS NEANDRI Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS DECIMAOCTAVA.

Cicero pro Milone.

Ex omnibus præmiis Virtutis, ampliſſimum eſt præmium Gloria, qvæ vitæ brevitatem poſteritatis memoriâ conſolatur: qvæ efficit, ut abſentes adſimus, mortui vivamus; cujus gradibus etiam homines in cœlum videntur adſcendere.

ERUDITO, VETUSTA PROSAPIA, ET
Antiqvis Moribus Conspicuo Viro
DNO. ERICO HOIERO
Civi, ac Patricio BREMENSI,
Adfini Suo
JOHANNES NEANDER
S. D

HOc loco Te compello ERUDITE & PRUDENTISSIME Adfinis. Cavssam vis? Qvia amo; qvia æstimo in ista Doctrinâ, in isto statu. Immo vis cavssam aliam? Ne tacitus amem, ne in tenebris æstimem. Amor avtem imperfectus, Æstimium nullum nisi in scientem. addo, nisi in volentem. Scire igitur Te utrumqve illum haveo; immo velle, ut scientem volentemqve amem, atq; etiam colam: facturus tamẽ & hoc & illud, etsi noles. Volo, volo. & cavssas dixi. Magis etiam debeo propter Amplisſ. & Consultisſ. Consulem nostrum D. DOZENUM &c. Sobrinum Meum, Tuum verò Socerũ, Qvi cum Adfinibus Vobis in Me semper tam adfectus & pronus. Ergo & hoc qvoqve nomine amo Te, & colo: amare avtem me profiteor, ut Vestrûm amorem plenius in Me derivem; colere, ut cultum libere exhibeam. MANEAT AMICITIA HONESTA HÆC, qvæ est (ut Philosophus expressit) τῶν ἀγαθῶν ϗ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων. Tales vos esse scio; Ipse laboro. Qvidni ita dicam? & lavdatissimum desiderium liberè profitear, ut Amicitiam merear? Tu, Adfinis, Tesseram hanc Anagrammatissimorum 18. Decadem cape, cujus & Tu pars; & Me, ut fecisti hactenus, amare perge. SALVE & VALE, BREMÆ &c.

GISIUS

I.

GISIUS NAGELIUS
Armamentarij Inſpector.

ANAGRAMMA.

VIGILANS VIGES.

EPIGRAMMA.

INſtantis cev ſigna canens dat gallus Eoi,
Et revocat noſtros ad vigilandum oculos:
Sic VIGILANSne VIGES NAGELI? Lumi-
na nunqvam
Torpor habet; Mentem ſed revocas vigilem;
Ad Qvem? Numqvid ad Hunc, nunqvam Qvi
lumina claudit,
Cuncta hæc ſed placito temperat arbitrio?
Haut mirum. Qvemcunqve oculis DEUS adſpicit
æqvis,
Huic favor ex omni parte repente venit.

II.

LUBBERTUS EDZARDIUS

Aput Inclutos BREMENSES
Cavſſarum Patronus,
(Z in TS,)

ANAGRAMMA.

LUDIS, TRUDIS, BRABEVTES.

EPIGRAMMA.

QVum dederit triſtem Mihi ſors cum Fratre reatum,
Sqvallidus ac vivam pallidiorqve reo
LUBBERTE an vici? Non. Cur? Te Rhetora novi;
Tum qvid habes animi, tum qvid in arte novi;
Tu LUDIS, TRUDIS Cicerone diſertior ipſo:
Phabiranenſi *par Tibi nemo foro.*
Sed nihil hinc veniet; licet hoc ſis marte BRABEVTES,
Qvòd ſit Bremenſi *par Tibi nemo foro.*

FRANCIS-

III.

FRANCISCUS DREIJERUS

Aput Inclutos BREMENSES
Cavssarum Patronus.

ANAGRAMMA.

VIR CURAS FID' SECERNIS.

EPIGRAMMA.

DUm Ratio præsens regit, & dictamen Honesti,
Ultra vel citra qvod neqvit esse Bonum,
DREJERE. an CURAS SECERNIS & Æqva FIDENE
VIR? Facias. Semperne ante retroqve vides;
Proxima dum cordi qvid Jus? qvid sanciat Æqvū
Cura est? Hæc semper Regula certa Tibi?
Nomen habes: facias ne Mores Omen adumbrent,
Nomine qvod ductum vult Anagramma Tuo.

ERICVS A RHEDEN
Civis ac Patritius BREMENS.

ANAGRAMMA.

E CINERE DURAS.

EPIGRAMMA.

QVid lætetur homo? Nescit post gaudia demum
Perpetuos luctus mortis ines se sibi?
Formidanda malis mors, invitanda Piisque:
An quis propterea mortuus esse velit?
E CINERE es; DURAS, Æternæ præmia volvens
Vitæ ERICE. Anne hinc præmia digna feres?
Præmia digna feres. Cur? Vitæ præmia volvis
Æternæ. Æternùm gaudia magna feres.

V.

THEIODORVS MUNTZE

Civis ac Patritius BREMENS.

Ecclesiæ Collegiatæ S. STEPHANI Ædilis.

(Z in TS.)

ANAGRAMMA.

O! DEUS THRENOS SUMIT!

EPIGRAMMA.

QVæ fuit à Domino promissa petentibus olim
Gratia, nunc solis fletibus illa datur
MUNTZENI. O! mollis quicquid peccavit ocellus
Abluit, errata hæc illachrymando, oculus:
Namque DEUS THRENOS SUMIT: Sic Flere juvabit:
Curantur namque hæc vulnera fontis aquâ.
Fallor? an hinc oculo plorandi infusa facultas,
Peccandi quoniam fons & origo fuit?

VI.

MEIMÆREN SCHOEN

Civis ac Patritius BREMENS.

ANAGRAMMA.

SCENÆ MEMINERO.

EPIGRAMMA.

Vita cui similis? Scena est, Comœdia vera est:
In Scenâ fictâ stare qvis, ecce, qveat?
Dico: dum SCENÆ MEMINI, qvia lubrica, stabit
Qvis SCHOENE? Hevs! fere dic; Nescio. Qvid memorem?
Umbra est: instabili stabilis qvis stabit in umbra?
Conatur si qvis stare, repente cadit.
Vita mare est; currente mari hoc fert vita procellas:
Hæc habet & ventos naufragiamq; freqvens.

PETRUS

VII.

PETRVS KATTERBACCHIUS
Civis & Patritius BREMENSIS.

ANAGRAMMA.

PECCATUR? CHRISTUS BEAT.

EPIGRAMMA.

QVo sine Nil Video, Sapio Nil, Qui Meus est Sol
Solus; Qui Meus est, Qui Mea Sola Salus,
Quis? CHRISTUS. Si PECCATUR discrimina tollit:
Agnus *nempe DEI Pectora Nostra BEAT*
PETRE. Etenim Nobis Moriendo restituit rem;
Adam *quum humanum perdidit ante genus.*
Solum, omnemque Hominem venit servare Redemptor:
Servatur Solus, non tamen Omnis, Homo.

NICO-

VIII.

NICOLAVS LUDE

Civis & Patritius BREMENS.

Ecclesiæ D. MARIÆ Virginis Diaconus &c.

ANAGRAMMA.

OCELLUS; AVDIN'?

EPIGRAMMA.

QVi Virtute suâ Virtutem imitatur avitam,
Is Genus, & famam conduplicat Generis.
Tun' Sobrine facis? Facis. Es Virtutis OCELLUS,
Et Generis. Numqvid Lavs Tua salva manet?
En manet! Ast AVDIN' LUDENI; magnus honorum
Ardor in excelsum tendere culmen amat.
Sic Virtus excelsa petit! Sic itur ad Astra!
Tu seqvere, & longos vive Valeqve dies!

IX.

JACOBUS VAN BOBERT
Civis ac Patritius BREMENS.
Ecclesiæ ad D. MARTINUM Sub-Diaconus.

ANAGRAMMA.

BEATUS BRABION VOC',

EPIGRAMMA.

QVum mortale genus male firmum, triste, misellum;
Seu tellus habeat, seu fera Parca ferat;
JACOBE adversis rerum non frangere. Caussa est.
Non Mens immodico fracta labore cadit:
Hinc BRABION VOCA; es ac dignus mihi Laude, BEATUS
Quum sis, quod tristi tempore victor oves.
Macte Vir! Hæc caussa est quod sint Tibi cuncta secunda;
Et favor, & splendens quod Tibi surgit Honos.

ERI-

X.

ERICUS HOIERUS
Civis ac Patritius BREMENSIS.

ANAGRAMMA.

EHO VIR! VIRESCE.

EPIGRAMMA.

QVis Proceres, veteremque volet celebrare Senatum,
Claraque ab exortu Stemmata, ERICE, Tua?
Teque, Tuumq; Genus memoret? Prior esse recusans
Ipse Tuo vivis segregus arbitrio.
Elegit Consul Generum Te. Cur? ut eisdem
Moribus ornares Tu veteres Proavos.
Vota probent Superi! Tu EHO VIR macte! VIRESCE!
Inde Genus Claræ Nobilitatis erit.

DECADIS DECIMÆ OCTAVÆ FINIS.

JOHAN-

Johannis Neandri Medici & Philoſophi

Anagrammatum Decas Decimanona.

Val. Max. lib. viij c. XVI.

Nulla eſt tanta humilitas, quę dulcedine gloriæ non tangatur. Illa verò & à Claris Viris interdum ex humillimis rebus petita eſt.

SINGU-

SINGULARI PRUDENTIA, HUMANItate, *Doctrinâ & Virtute satis spectabili*

DNO. REINHOLDO WESTERHOLDTO

Hæreditario in Waertoren

prope Inclutam BREMAM

Amico Suo

JOHANNES NEANDER

S. D.

HUMANISSIME D. REINHOLDTE; Ut in veteri verbo est: *Sequitur vara vibiam.* Decimam Hanc & nonam Decadem reliqvis subtexo, qvam facere vides, qvod Ego solebam; id est; ad Te venire. Et meritò. Gratias agere vult pro Beneficentiâ, qvâ privatim præteritis hisce annis, dum patriis Laribus, præter omne fas, sum prohibitus, complexus es. Estne & cavssa magis propria? Opinor. Facta Hæc Anagrammata sunt ad Nomina Amicorum, inter Qvos non ultimus Tu. Itaqve decorè ad Te Hæc Decas viam adfectat. Leve Munus, & qvod pavllo nitidius effecissem, nisi singulis pæne momentis transversim Me respiceret fortuna, qvæ Mihi conciliatur dum unicus ille Frater Meus (nescio qvibus fulcris nixus) in hercíscunda communi Nostra hæreditate fratrem exuit, adeoqve communem sanctissimæ Justiciæ normam latissimè excedit. Tu interim meæ hæc verecundiæ spolia cape, ut qvum nihil agis, hæc legas; & ne nihil agas, examines: non enim cuiq; Deo sua Sacra; nec idem Cereri qvod Libero. Hæc Tua interim erũt, qvæ juvante Vulcano liberabis infamiâ, si pervenire non debent ad Famam. VALE.

ELER

I.

EILARDUS BREDIUS

Civis & Patritius BREMENS.

Ecclesiæ D. MARIÆ
Diaconus &c.

ANAGRAMMA.

VERBIS LUDIS: ARDE.

EPIGRAMMA.

INgenij ut vidi dotes, ut cætera vidi
EILARDE in multis quæ latitare vetant,
Dum VERBIS LUDIS; jam surgit adorea: Num-
quid?
Dicebam. Quid? Num sic Ego falsus eram?
Re sanè expertus vidi. Tu lucidus ARDE:
Nam flamma ex igne hoc carior esse solet.
Num solet? Est; & erit. Virtus adscendet ab imis:
Fructus honos oneris post gravioris erit.

II.

EILLARDUS HAVE-MANNUS
Civis & Patritius BREMENSIS.

ANAGRAMMA.

EN MUSA, ES NULLI ARDUA.

EPIGRAMMA.

TRanqvillus, Clemens, oculis, voce, ore Serenus,
In Genitore Tuo Mente Animoqve pates
EILLARDE. EN, monstras NULLI qvod & ARDUA MUSA
Qvam Proavus, qvam & Avus, qvam Pater excoluit
Nobilis à Proavis & Origine: nempe Senatum
Fabiranenses *vix habuere parem*;
Præmia Virtutum simul & Pietatis adepti
A Qveis sunt. ES Tu Proxima Progenies,

III.

STATIUS SPECHAENIVS
J. U. Cand.
Civis ac Patritius BREMENSIS.

ANAGRAMMA.

SPECTANTI SVAVIS ES.

EPIGRAMMA.

TU *Mihi simplicibus STATI dilectus ab annis;*
Ingenio Mihi nam Judicioqve sapis.
Spectator qvicunqve venit discedit amator;
SPECTANTI ES SVAVIS. Cur? Tua fama capit.
Egregius non sum Vates, non è grege Vatum:
Egrege Tu Vatum nonqve es: at Egregius.
Ergo bona haut facio (qvid mirum?) Epigrammata: Curnam?
Versificans ungves rodo caputqve scabo.

IV.

REIENHOLDUS WES-TERHOLDTUS

Hæreditarius in Watrtoren prope Inclutam BREMAM.

ANAGRAMMA.

VIRTUTE SEDES, SUDORE NULLO.

EPIGRAMMA.

NOn Extorris eris dum vives, terraqve stabit
WESTERHOLDTE; & Tu nullius Hospes eris:
Nam VIRTUTE SEDES: SUDORE es nempe Beatus
NULLO; atqve es notus non ubi natus eras.
Hæcce Tibi Patria est Tibi qvæ Patrimonia præbet;
Namqve ubicunqve habeas, qvod satis est, habitas.
Sunt nihili interea versus qvos mittimus: at Tu
Specta Animum: Hic nunqvam desinet esse Tuus.

JOHAN-

V.

IOHANNES SCHLÜTERUS

Aput Inclutos BREMENSES Cavſſarum Patronus.

ANAGRAMMA.

LITES ERUNCAS: ONUS.

EPIGRAMMA.

QVum det iniqva Mihi triſtem Fortuna reatum;
Et noceat Vati priſtina Muſa ſuo:
Nec ſim Cavſſidicus, nec amaris litibus aptus,
Sed pius & placidus, Pieridumqve comes:
Dumqve Domo, & Patriâ Me Frater (Numina!) Villâ
Arcet; & hinc de Te dum peto conſilium;
LITES ERUNCAS, SCHLUTERE, & ſuſcipis in Te
Magnum ONUS. Herculeus (qvid loqvar?) iſte Labor.

VI.

BORCHARDUS BROEC-MANNUS

Aput Inclutos BREMENSES
Cavſſarum Patronus.

ANAGRAMMA.

CREBRO BONUS: CUR? DAMNAS.

EPIGRAMMA.

SI ſaperent homines, rixis avidisqve carerent
Litibus, & qveruli garrulitate fori:
Sed qvum deſipiant, Tu DAMNAS nempe reatus
CREBRO. CUR? Qvisqvis ſe Bonitate regat
Scilicet. Omnis homo (Menedemi ſed ſumus omnes)
Se putat eſſe Bonum. Fervor hic an furor eſt?
Nemo repente BONUS BORCHARDE; licet Sapiens ſit;
Dum modò ſit Melior Vir Sapiente BONUS.

VII.

JOHANNES SCHWE-LINGIUS

aput Inclutos BREMENSES Cavsſarum Patronus.

ANAGRAMMA.

EN, VIGILAS NOSCI: VENUS.

EPIGRAMMA.

SI cupis in Noſtris dicique legique Libellis,
Quod non nullus Honos creditur eſſe Tibi
SCHWELINGI, NOSCI VIGILASne? & Nomen adoptas?
EN; Volo Te Chartis inſeruiſſe Meis.
A Noſtris abſit quamvis Venus *improba ſcriptis,*
Nympharum pariter Nereidumque domus:
Haſce tamen laudent omnes, mirentur, adorent?
Confiteor; laudent Haſce; ſed Iſta legant.

VIII.

HERMANNUS HUES-MANNUS

Civis ac Patritius BREMENS.

Ecclesiæ ad S. MARTINUM Sub-Diaconus.

ANAGRAMMA.

ANNE MENS MURUS? SAN'.

EPIGRAMMA.

IN Me consumpsit vires fortuna maligna,
Quæqve ferunt hominum fata, reguntqve vices;
Spes fallax, vanæqve preces, & inania vota:
Sed medicina meis una relicta malis
Est HUESMANNE: Mihi nam MURUS fortior ANNE
MENS Sana est? SAN' est. Qvid loqvar ulterius?
Hæc mihi scribenti Tua Gratia CHRISTE, Tuusq;
Æthereâ spiret missus ab arce favor!

HENRI-

IX.

HENRICUS HOUCKENIUS

Civis ac Patritius BREMENS.

ANAGRAMMA.

HE! NUNC CRESCO VIVIS.

EPIGRAMMA.

DUm victura Meis mandantur Nomina chartis,
Dumqve cinis pavcis qvod Mihi Vita dedit,
Qvid dicam? VIVIS NUNC CRESCO! HENRICE, ne Crescis?
Crescis: namqve Meo munere fama datur.
Qvid tamen hæc prosunt? dicas. Respondeo: Multis
Qvamvis non prosint, Te tamen ista juvent.
Interea Nostri ne festinate Libelli;
Qvæ post fata venit Gloria major erit.

X.

JOHANNES MUNTZE
Civis & Patritius BREMENSIS
(Z in SS.)

ANAGRAMMA.

UNA MENS HONESTIS.

EPIGRAMMA.

Mens Mons est, Montisqve cacumen Mentis acumen.
MUNTZE; En! Multùm humilis Mens sapit; alta parùm.
Pessima Mens Numen non cernit: noctua Lumen.
Non videt: Illa DEUM non videt; ista Diem.
Mater Honestatis MENS Optima, semper HONESTIS
UNA: Hæc stultitiam temporis Una necat.
Dirigit errantes Mens Optima; corrigit omnes
Errores; Mentis Regula Cuncta regit.

DECADIS DECIMÆNONÆ FINIS.

Johannis Neandri
Medici & Philoſophi

ANAGRAMMATUM

DECAS VIGESIMA.

Cicero pro Archiâ.

Nemo eſt tam averſus à Muſis, qvi non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facile precònium patiatur.

DOCTRINA, INTEGRITATE, INGENIO,
Induſtria, & Uſu rerum conſpicuis Viris

DN. JOHANNI HENRICO ORTLIEB
Inclutæ Reipublicæ BREMENSIS
Pharmacopoeo induſtrio;

DN. JOHANNI WILHELMO à KUNTZENBACH;
DN. WILHELMO ANDREÆ;
DN. HENRICO HAGEDORNIO;
Pharmacorum aput Inclutos BREMENSES
Magiſtris ſolertibus

JOHANNES NEANDER
S. D.

ARTE VOS ET OFFICIO IUNCTOS, IUNGERE Qvoqve Epiſtolâ volui compendio ſaltem ſcriptionis. Anagrammata videtis inter alios Vobis dicata, data: Ea nunc offero, ut & vos oculati qvoqve Lectores ſitis inter tot legentes. Defero avtem Vobis, qvia exigere videmini, ut Veſtra habeatis, qvia audiviſtis. Nec invitus petentibus qvaſi Vobis nimirum do, qvum poſcere, qvum promereri videamini: nec moroſus perſolvo exigentibus qvum dare videar. Solvendo itaqve Beneficium do, qvia ſolvo: à Vobis idem repoſco. Qværitis qvid hoc? Olim Vos amavi; & nunc amo: Olim & nunc qvoqve dignos. Eſſe enim Vos video qvi fuiſtis, Probos, Laborioſosqve, & in diluendis à Pharmacorum Myſtis præſcriptis Remediorum formulis induſtrios. Veſtra Apotheca eſt ipſa Æſculapij officina & ſuppellex. Nos Corpori ſanando condimus Pharmaca, & promimus cottidie: Vos ad noſtram metam Induſtriam & Laborem confertis. Pergite: Si cinterim qvodcunqve à fideli medico & Pharmacorum tanqvam Arbitro Vobis exſpectare licet univerſum, ſincero animo polliceor. Hanc igitur notam à Me accipite, & Valete. BREMÆ &c.

I.

RICMAERUS STRUEC-MARIUS
Gymnasij (qvum viveret) BREMENSIS Præceptor.

ANAGRAMMA.

MIRE CARUS ERAT MUSIS. CUR?

EPIGRAMMA.

MIRE CARUS ERAT MUSIS STRUC-MARIUS: Hinc, hev!
Tres nevisse Deas ultima fata seni
Vidi. CUR? meritæ poscebat præmia palmæ
Emeritus miles qvæ sibi promeruit.
Dicitur Alcides domuisse immania monstra,
Sub qvibus & langvens & miser orbis erat.
Barbariem, monstrum multo truculentius illis,
Stravit, & hinc palmis mors inimica tulit.

Ad Cœlos abiit die 7. aprilis
Ann. 1631.

HENRY-

HENRYCVS BUTENTAGIUS
Gymnasij BREMENSIS
Præceptor.

ANAGRAMMA.

NUNC THYRS' VIGE BEATUS.

EPIGRAMMA.

HENRYCI Nomen Tibi det, qvasi Nominis Omen,
Furva Dies; vel det, dic, Opulenta Manus
BUTENTAGE. Dies non dat, promptissima penna
Te vehit ad magna hæc culmina Pieridum.
Ergo VIGE THYRSO Pennæ Lavroqve BEATUS
Æterno, qvæ NUNC Pectora qvaqve movet.
Si Cerebrum est eqvidem parvum Tibi, continet in se
Penna Tua has omnes Delicias, Veneres.

THEODO-

THEODORVS von LASTERN
Gymnasij BREMENSIS
Præceptor.

ANAGRAMMA.

EN, NOSTRO LAVS VERA DEO.

EPIGRAMMA.

AVditur qvoties Venerabile NOMEN JESU,
Inclinet, qvicqvid spirat in Orbe, caput.
Terra genu flectat, Cœlum, Mare, Tartarus ingens,
Omnis & extollat lingva canatqve DEUM.
EN, NOSTRO LAVS VERA DEO! Verene Beatus
Dicere dignata est qvem sua cunqve Chelys?
Dic THEODORE. Animis DEUS at Tu illabere Nostris
Qvi sumus à CHRISTO Gens tua facta Tuo!

HENRI-

IV.

HENRICVS VAN ESSEN

Urbis Patriæ Civis
è primoribus.

ANAGRAMMA.

NUNC SANE VIR ES, ES.

EPIGRAMMA.

UT tepidum ad tempus peregrina Ciconia nidos
Linqvit; post repetit culmina nota sibi:
Sic Ego dum patriis longe regionibus absum;
(Edicto patrio jussus abesse) manum
Navfragio ejectum reduci protendere nosti
HENRICE Adfinis. *NUNC VIR ES! ES-*
ne? loqvor
SANE. Nulla Tui capient Me oblivia, tum nec
Antiqvos liceat qvum remigrare Lares.

JOHAN-

V.

JOHANNES HENRICUS ORTLIEB

Inclutæ Reipublicæ BREMENSIS Pharmacopœus.

ANAGRAMMA.

EHO! HICN' ἀνὴρ LITERIS BONUS?

EPIGRAMMA.

TE qvoqve nunc taceam cujus sub pectore Apollo
Et decus Ingenij præsidiumqve dedit;
Pharmaca qvod nôris modò, qveis, dum membra fatiscunt,
Langvida Pæoniâ redditur Arte Salus?
Qvam jam tam graphicè qvum mens Tua polleat Artem
ORTLIEBE Insignis Pharmacopœus ovas.
EHO! Numqvid ἀνὴρ BONUS est HIC? inqvio, adusqve
Litera dum decoret? Pharmaca dum decorent?

T JOHAN-

VI.

JOHANNES WILHELMUS A KUNTZENBACH

apud Inclutos BREMENSES Pharmacopœus,

(Z in TS.)

ANAGRAMMA.

HA! ANNE SUB NUMINIS TUTELA CLUES?

EPIGRAMMA.

VOta Mei breviter si vis cognoscere Scripti,
Dum misces doctâ Pharmaca lecta manu;
Dextra DEI Manus est Medicus; Tu nempe Minister
Dum Medici es; dum Tu, qvod potes, arte juvas,
TUTELA ANNE CLUES SUB NUMINIS? Adsero. Macte! HA
KUNTZBACCHI! Genius Te regit ille Bonus.
Gavdebis Genio Scriptorum JANE Meorum,
Dum Mea gavdebit Musa Labore Tuo.

GWIL-

VII.

GWILHELMUS ANDREÆ

Aput Inclutos BREMENSES
Pharmacopœus.
(U in E)

ANAGRAMMA.

AGE, SUMNE ULLI HEDERA?

EPIGRAMMA.

ÆTernum Decus est Hederæ; & Parnassia Laurus
Perpetuo Phœbi frontis honore viget.
Ingenuâ dum Tu Phœbi clarescis ab Arte;
Dum Tibi sunt dotes Ingeniĳqve vigor;
Arctius atqve Hederæ procera adstringitur Ilex,
Inter Machaonas Pieridesqve clues.
SUMNE HEDERA *amplexu*, WILHELME, *(AGE,) sæpe rogato*
ULLI? *His namqve solet non nisi fama peti.*

HENRICVS HAGEDORNIUS

Aput Inclutos BREMENSES
Pharmacopœus.
(I in A.)

ANAGRAMMA.

IN DEO SECURUS: ANGAR?

EPIGRAMMA.

SUſpenſo ut Cochleæ figunt veſtigia greſſu,
Tutamqve explorant cornibus ante viam:
Sic Caſus Sapiens HENRICE expendis; inane
Negligis; & latebris Te tegis. Anne tegis?
INq; DEO vivis SECURUS Mente? Qvid ANGAR?
Inqvis: Me alterius mutua cura premat?
Non prius abſiſtam ſtudia hæc in talia duci,
Qvàm capiant Animum ſidera, Corpus humus.

IX.

GEORGIUS MARTINI

Aput Inclutos BREMENSES Bibliopola.

ANAGRAMMA.

IS VIGOR GERMINAT.

EPIGRAMMA.

A*Bstrusos vetulo forulorum pulvere Libros*
Deposuit sulcis * Villicus *Iste Novis:*
Nec spes destituet: frugum, en! qvos spondet acervos!
GERMINAT, increscit, luxuriatqve Seges.
IS VIGOR, ut stupeam: dum inter tam multa reqviro
Qvæ capiunt oculos, qvæ capiunt animum;
Auferor Ipse à Me plenus caligine, dicens
MARTINI nihil. at st! Mea Musa tace.

* Georgius

X.

GEERHARDUS HOIS-MANNUS

Aput Inclutos BREMENSES Bibliopola.

ANAGRAMMA.

OMNIS RES ARDUA : GENUS.

EPIGRAMMA.

ARs operum inventrix Naturâ operosior ipsâ
Viribus Ipsa suis ingeniosa facit.
ARDUA principio RES OMNIS: Temporis usis
Lentor. Invictus sufficit Ipse sibi
Vires. Numn' HOISMANNE ? GENUS frænare leonum
Tu possis, oculos si modò veste tegas.
Sic qvorum Ingenium Viresque expenderis antè,
Post facilè oppressos & superare queas.

DECADIS VIGESIMÆ
FINIS,
ET HUJUS PRÆMETI.

CLAUSU-

CLAVSULA.

FInem facio ſcribendi LECTOR, etſi in ſpacio adhuc, non in metâ. Decades enim aliqvot ſupererant, Qvas expolire Mihi non vires, non voluntas. Adverſus hic Animus; nec miraberis, ſi malevolos meos inſpicias qvi in hac urbe. De Bonis omnia bona faventia jure Mihi ſpondeo: ſed qvum ad adverſarios meos Me converto, qvod illicium Mihi ad ſcribendum? Durum, dirumqve! ut Mihi cogitatio ipſa punctim pectus feriat, & animum, neſcio qvò, impellat. Cui benè volo; immo debeo, pæne malè volo, qvod mali cavſſam alat; dum ille in hoc certamine Achilles, Ego Troilus videor. Plus qvidem virium in meâ cauſſa; ſed illi plus fiduciæ in ſuâ haſta. Ille præventum ſe qveritur in expenſis in Muſas à Me olim collatis; alius circumventum; & omnino ſunt qvi evertere Me penitus adlaborant:

Qvis hoc poteſt videre? Qvis poteſt pati?

Nec enim ferrum Mihi circa cor: qvum ſemper Modeſtia Mihi conſtiterit, & conſtabit qvamdiu hæc vita. Nihil ſane cuiqvam præripui, toto decennio præreptum Mihi; & jam ad judices (DEUS BONE!) imus; aput qvos qvum diu altercati fuerimus, hic Fratrem hircum mulſiſſe, adſeclas verò Ejus cribrum ſuppoſuiſſe pronunciabit. Ad lites ſuas ME homines litigioſi provocare poſſunt. Egone dignos habeam, qvos remordeam? in qvos reſtringam has dentes? Hactenus qvæ evenerunt, ità tuli,

ut ferenda humana sunt, & ut dignum iis studiis qvæ tracto. nam reverà hæc litigia, hæ turbæ qvid aliud qvàm ludi? severi, fateor; sed tamen ludi, qvos instruit Avaritia & habendi cupiditas. Itaqve non ferenda solùm ista; sed ridenda. Videmus qvum nuces sparguntur, ut currant pueri & rixentur. idem isti, qvi cuncta ad se per fas nefasqve rapiunt, alieno malo & nullo suo bono. Atqvi ea ipsa qvæ tanti faciunt, propter qvæ sudorem fundunt, si dimotâ vulgi nebulâ consideremus, nuces sunt. Qvare eo loco hæc talia habenda qvo sunt, id est pro nugis. Qvid ipsum avrum est? qvid, nisi splendens qvædam terra & nitidius pavllo lutum? Ad Me redeo, & ad πετράγωνον λίθον, in qvo solo qvies & tranqvillitas firma. *Cætera fluminis ritu feruntur*, ut canit Poeta. Ad hoc firmor jam ante contra hæc omnia, qvæ evenire Mihi non solùm possunt, sed communi qvadam lege debent. Interim terrebunt magis qvàm nocebunt, ac impedire lumen publicum poterunt, motum non poterunt, impelletur enim altiori vento velum BONÆ MENTIS, ac dissipabit delebitqve coactas istas nubes. Ego qvidem non solus, sed tamen inter primos ANAGRAMMATUM Hunc currum ago; felix si non inter primos vocis stiliqve impedimenta experior. Sed carpe; & simul cave qvisqvis conatibus meis infestus es. Carpe; & simul cave, inqvam, ita enim contra publicam Livoris petulantiam animum obarmabo, ut concoqvere reprehensiones valeam, si merear; & judicare, an merear. Longè qvi-

qvidem à ſpe Gloriæ remotus eſt, qvi reprehendi non conſvevit; longius qvi contemnit reprehendi. Ego avtem & reprehendi adſvevi, dum in publico vivo & ſcribo; nec contempſi, ubi reprehenſus ſum: hoc cumprimis meo bono, qvod ſupra reprehenſiones citius evaſi. Correctorem enim qvi ſuſtinet, priusqvam didicit, Scientiæ proximus eſt; Qvi poſtqvam didicit, Scientiâ major eſt. Ringaris ſaltem ac liveas iniqva Calumniæ proles! Qvid laborem ſi qvidam invideant & carpant? An Ego eximius ſim inter homines qvi ſunt, qvi fuerunt? Qvos non qvi excellere aliqva in re conantur ſtatim adflat & adurit malevolentiæ iſta avra? Veteres reſpicimus? Reperimus. Noſtros hodie? Idem. Mihi ſententia de Me non niſi aput Me fertur: nec Qvis ſim, alium rogo. Interno iſto Judice ſi probus avdiam, qvid addant avt demant Mihi ſermones? Qvis ſim in Me ſitum eſt; qvalis avdiam in vano iſto vulgo. Interim, MI LECTOR,

CONSTRUXI MONIMENTUM ÆRE PERENNIUS,
Regaliqve Arabum fœnore ditius,
TE LECTORE *qvod havt Zoilus invidus*
Avſit diruere; aut inſuperabilis
Momi progenies. Clarius indicem?
Non omnis moriar, multaqve pars Mei
Vitabit Libitinam, usqve adeo inclutâ
Creſcam Lavde, recens qvam meruit Labor.
PRINCEPS *ô Proavis edite Regibus!*
O & Præſidium, & dulce Decus Tuis!

Illustrem Titulis Te eveho fervidus,
Certus magnistrepis tollere Honoribus.
Multis Bella placent, murmuraq; horrida,
Ingentesqve minæ, fulminaqve anxia
Cum flammis, furat hev, sub Jove Martia, &
Vis tectis globulos sparserit igneos.
Hunc Veræ Fidei dogmata Cœlica
Miscent Christicolis: nam sibi Spiritus
Nec tranqvillus abest: sunt Pia Pectora
Qveis Cœli videas Numina perpetim.
DONAVIT TITULOS, PRÆMIA FORTIBUS
Et Doctis Animis, Qviqve salubribus
Possunt Justiciam promere Legibus,
Qvas avt Bartolus avt Lipsius extulit.
Gavdes Carminibus? Carmina possumus
Donare, & precium dicere muneri:
Gavdes Carminibus? Si bene feceris
Meredem tuleris, pramia commoda.
Dignum Lavde Virum Musa vetat mori!
Cœlo Musa beat! Musa redi Bonos
Secernens populo. Vatibus inseris?
Sublimi feriam sidera vertice.

JAM
AVERTENTIA SACRA FACIAM

INVIDIÆ ET PALLORI.

SYLLA-

SYLLABUS ALPHABETICUS ILLORUM

Quorum Nomina in Hoc Prametio ab oblivionis injuriâ vendicata sunt.

Eilar-

DEI

L.

Ludo-

HOC

HOC ADDO LECTOR.

AT te ſerie & Erudite Lector peto, ut ſi-cubi Ego lapſus ſum, avt ſi qvid mihi in priore interdum ſyllabâ, (nam & ipſe notavi) elapſum, corrigas, non culpes. qvia revera in variis moleſtisqve occupationibus meis, valetudine etiam non firmâ, non unus omnia pervidi. Interdum etiam duces qvosdam mihi vides ad hoc iter, qvorum remigio integrum interdum Anagrãma debeo, non qvia adfectârim, ſed qvia dabant ſe ſub manum. Ut in ſegete flores qvidam internaſcuntur ſuâ ſponte: ſic in his ſcriptis alieni verſiculi. Ego interim, valetudine qvamvis ſatis tenui uſus fuerim, qvod potui, id feci: nec impedio, ſi qvis in eodem circo curret ad palmam. VALE, & ſi merui, FAVE LECTOR, & plura à Me exſpecta.

BREMÆ

Typis Hæredum JOHANNIS WESSELI Reipubl. & Scholæ, qum viveret, Typographi,

Sumptibus & Impenſis AUTORIS.

Clodius de O dulcis — Sibilla de Lis tabi

